CONSTITVTIONES ET DECRETA

Condita in Prouinciali

SYNODO SENENSI PRIMA

QVAM

FRANCISCVS MARIA TAVRVSIVS

TIT. S. BARTHOLOMAEI

IN INSVLA

Presbyter Cardinalis, illiusq. Ecclesiæ Archiepiscopus habuit Anno M. D. LXXXXIX.

Ex legato



[illegible] Corsini

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE Ex Typographia Aloysii Zannetti M. DC. I.

Imprimatur, si placebit Reuerendiss. P. M. S. P.
B. Gypsius pro Vicesg.

Imprimatur.
F. Angelus Baronius Venetus Magister, & Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij socius.

LITERAE ILLVSTR. AC REVER. D.

CARDINALIS MATTHAEI

De editione Concilij.

AD

ILLVSTR.MVM ET REVEREND.MVM

D. CARDINALEM

Atque

ARCHIEPISCOPVM SENEN.

Illustrissime, & Reuerendissime D. obseruandissime.

PRouincialem Synodum Senensem, quam Illustrissima Ampl. Tua, adhibitis comprouincialibus Episcopis, de eorum consilio, & assensu nuper celebrauit, Ill.mi Patres sacri Concilij Trid. S. D. N. auctoritate interpretes, pro munere sibi iniuncto, di-

 ligenter

ligenter recognouerunt, atque, vbi oportuit, emendarunt, atque aptarunt. Nunc igitur eam ad Illuſtr.ᵐᵃ Amp. T. remittimus, vt, pro ſua paſtorali vigilantia, quantocyus edendam, & ſedulò in ſua Eccleſia, totaq; Prouincia obſeruandam curet; vt egregiæ ſuæ operæ, ac induſtriæ, pijque laboris fructus, quos ſibi initio propoſuit, vberiores in dies, adiuuante Domino, percipiat. Quod vt cumulatè, & quàm celerrimè fiat, nos ſummis precibus à diuina benignitate contendimus, & Ampl. T. Illuſtriſsimæ manus perofficiosè deoſculamur, eique nos humillimè commendamus. Romæ die xv. Decembris anno 1600.

Amplitudinis Tuæ Illuſtriſsimæ, ac Reuerendiſs.
Humilimus ſer. *Hier. Card. Matthaius.*

IN NOMINE SANCTAE, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij,& Spiritus Sancti. Amen.

NOs Franciſcus Maria Taruſius S. R.E. Tituli ſancti Bartholomæi in Inſula Præsbyter Cardinalis, Dei, et Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Senenſis VI.Quod præpotenti Deo, Beatæq. Mariæ ſemper Virgini Ciuitatis huius Dominæ et Protectrici, laudi honorique ſit, ad collapſam Cleri, populique Chriſtiani curæ noſtræ Prouinciæ Coepiſcoporum crediti diſciplinam reſtituendam, animarumq. ſalutem, quantum in nobis eſt, procurandam,ex Coepiſcoporum noſtrorum conſilio, & aſſenſu hæc decernimus, ſtatuimus, et ſancimus.

De

De ijs, quæ ad fidem, religionemq; tuendam pertinent.

De Fidei professione.

Fidem, quæ Christianæ Religionis, et salutis est ianua, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum esse testatur Apostolus. Hinc igitur meritò exordientes statuimus vt Episcopi, ceterique omnes, quos vel iure, vel consuetudine huic Prouinciali Concilio interesse oportuit, neque tamen interfuerunt, in proxima futura Synodo Prouinciali, per nos, successoresue nostros, si Deus annuerit, celebranda, professionem Fidei, quod nos et Episcopi nostri sub huius Sanctæ Synodi initium fecimus, omnino emittant: Alij verò qui in hac Prouincia nostra Ecclesiastica beneficia vel obtinēt, vel in posterum obtinebunt, Itemq; omnes, quorum est ad Dioecesanam Synodum cōuenire, in ea, quæ prima in quauis Ecclesia huius Prouinciæ nostræ habebitur

bebitur, fidem de more profiteantur, alioquin pœna à Sacris canonibus constituta mulctentur.

Quibus autem curata beneficia, Dignitates, et Canonicatus in Ecclesijs Cathedralibus huius nostræ Prouinciæ collata sunt, ij, si duobus à die aditæ possessionis elapsis mensibus, apud Episcopum, vel, eo impedito, coram generali eius Vicario, atque etiã in Capitulo si Dignitates, Canonicatusq; sint, professionem fidei non emiserint, beneficiorum fructus suos non faciunt, nec eis possessio suffragatur, quemadmodum sacro Concilio Tridentino cautum est.

De Fidei Rudimentis.

QVoniam fidelium salus cognitione in primis rudimentorum Christianæ Fidei continetur, studebunt Episcopi, vt singulis saltem Dominicis, festisq; diebus Parochi omnes Campanæ signo populum, puerosque præsertim in Ecclesiam conuocent, pièque ac diligentèr sacrosanctæ fidei ru dimentis instituant: Quòd si tam salutaris officij partes neglexerint, in detrectantes, prout opportunum censuerint, animaduertent, eosq; etiam, si opus fuerit, ex præscripto Concilij Tridentini per Ecclesiasticas censuras compellent.

Quibusvis in locis fieri commodè poterit, ibi Episcopi doctrinæ Christianæ sodalitates ex viris, mulieribusq; ad eius tradendæ curam, onusq; suscipiendum

dum idoneis, moribusq; et vita probatis instituent, ad eamque rem cum in Vrbe, tum in diœcesi Ecclesias deligent, Indulgentias à fe.rec. Pio V.et Gregorio xiij. Vniuersæ Christianæ Reipub. nec non à Sanctissimo Domino N. Clemente VIII. huic Prouinciæ præsertim concessas ijsdem sodalitatibus, solemnioribus maxime diebus, quo acrius ad exercitationem tam vtilis, necessarijq; negotij inflammentur, crebrò, et sedulò Parochi inculcabunt. Ludimagistris Grammaticam profitentibus ea præcipuè cura sit, vt, Dominicis saltem, alijsq; festis diebus ad Ecclesiam pueros ducant, eosq; à Parochis doctrinę Christianæ præceptionibus imbuendos curent. Sicubi verò sodalitates huiusmodi institutę nō fuerint ipsosmet præceptores discipulos suos erudire Christiana doctrina iubemus.

Presbyteros verò omnes et Clericos, post datum ære campano signum, ad Ecclesiam, in cuius quisque vicinia domicilium habet, vt confestim pergant, et quos conuenisse repererint, in ijs ad Christianam doctrinam informandis diligenter laborent, vehementer hortamur.

Parochi autem singularum Ecclesiarum id curēt, vt à quibus, et quoties munus hoc præstitum omissumvè fuerit, ad Episcopum, vel, si is abfuerit, ad eius Vicarium Generalem tertio quoque mense fideliter referant.

De

De prædicatione verbi Dei.

DEnt operam, ex Tridentini Concilij præscripto, huius Prouinciæ nostræ Episcopi, vt vel ipsi per se, vel, si legitime fuerint impediti, per alios, saltem Dominicis omnibus, solemnibusq; diebus, huic muneri in suis quique Ecclesijs satisfaciant, ne illud dici meritò possit: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

In reliquis verò Ecclesijs Ciuitatis, & diœcesis diligentiam omnem adhibeant, vt præscriptis diebus Parochi ipsi, vel, ijs impeditis, alij ab se delecti atque approbati fidelem populum diuini verbi pabulo alant.

Ecclesiastici quiq; viri, etiam si Dignitates sint, Ecclesijs parochialibus præpositi, vel aliàs animarum curæ præfecti ipsi per se, vel, si legitimum impedimentum obstiterit, per alios idoneos ab ijsdem Episcopis approbatos, Christianum Gregem fidei suę commissum, statis diebus salutari verbi Dei cibo reficiant.

De lectione sacræ Scripturæ.

DEcretum est sacro Tridentino Concilio, vt quibusuis in Ecclesijs Metropolitanis, vel Cathedralibus, si Ciuitas insignis vel populosa; nec non Collegiatis in celebri aliquo & frequenti oppido existentibus, si ibi numerosus sit

Clerus, neq; vllum huiusmodi statutum stipendium sit, præbenda quomodocúque, præterquam ex causa resignationis, primò vacatura, ad vsum sacræ lectionis perpetuò deputetur. Verùm cum Ordinariorum negligentia factum sit, vt pluribus in locis id frustra sancitum esse videatur, ne apud nos nullam tam salutaris subsidij rationem habitam fuisse credatur, curent huius Prouinciæ nostræ Episcopi, vt in suis Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, vt supra, huiusmodi sacræ scripturæ lectio omnino habeatur; cuius onus mandetur ijs, qui per se Dominicis, cæterisq; festis diebus Clerum & populum; ferialibus verò ad Episcopi arbitrium præfinitis, & statis Clerum docere, & instituere possint: sicubi verò nulla fuerit prębenda sufficiens, per assignationem fructuum alicuius simplicis Beneficij; vel per contributionem fructuum suæ Ciuitatis & diœcesis; vel aliàs, vt commodiùs fieri poterit, ità prouideant, vt Theologiæ lectio nullo modo desideretur. Vbi autem commodè haberi non poterit, Magistrum saltem, consulto Capitulo, deligant, qui Clericos, aliosq; scholares pauperes Grammaticam gratis doceat: Huic verò stipendium aliquod ad præscriptum eiusdem Concilij assignetur.

De Excussione librorum, & Bibliopolis.

INdicis damnatorum librorum regulas, Sanctiss. D. N. Clementis Papæ Octaui auctoritate proximè editas, cum ab omnibus, tum præcipuè à

Typo-

Typographis, & Bibliopolis obseruari iubemus.

Ne quid autẽ in huiusmodi regulas à quoquam peccetur, Episcopi Bibliopolarum officinas visitandas quotannis curent, siue per Vicarium generalem, siue per vnum aliquem Virum, non doctrinæ minùs, quàm Religionis, & pietatis laude præstantem. Ex omnibus verò præscriptis regulis, has in primis seruari diligentissimè oportebit.

Libri nulli, maximè verò de sacris rebus, in lucem edantur, nisi prius ab Episcopo, vel ab eo, quem is huic rei prefecerit, atq; ab Inquisitore excusi, approbati, subscriptiq; fuerint. Approbatio verò à tergo primi folij librorum imprimatur.

In libris Typographi nomen expressum legatur: Annus item, quo sunt excusi, addatur. Autographa apud deputatum adseruentur. Imprimendi facultas, annus et dies ipsius, nomina quoq; eorum, quibus illa concessa est, in codicem referantur.

Bipliopolæ omnes, quoscumq; libros venales habent, eos in catalogum fideliter referant. Hic eorum, quibus id muneris mandatum fuerit, manu subscriptus sit. Romanus autem Index, nomina damnatorum Auctorum complectens, in ipsis officinæ librariæ foribus expositus habeatur.

Qui per Vrbes, pagos, opida, aliaq; loca libros venales circumferunt, eorum omnium indicẽ penes se habeant, ab Episcopo, vel Inquisitore, vel librorũ recognitoribus delegatis subscriptum.

Ab hæredibus atq; executoribus vltimarum voluntatum illud omnino seruetur, vt libris à defuncto relictis neq; ipsi vtantur, neq; eos alijs vendant, aut in alias personas quacunq; ratione transferant, nisi eorum indicem Episcopo, deputatisue antea exhibuerint, ab ijsque huius rei facultatem impetrauerint.

Nulli planè in vllam huius Prouinciæ nostræ Ciuitatem libri importentur, aut importati vendantur, commodentur, legendiue quoquo modo cuiquã tradantur, nisi illis ante ostensis, veniáque concessã ab ijs, quos huic rei Episcopus, Inquisitorue præesse voluerit; aut liquidò constet, libros esse eiusmodi, qui promiscuè omnibus permittantur.

Publicis verò ministris & vectigalium exactoribus, vbi locus publicus importandis exportandisq; mercibus est constitutus, excommunicationis pœna proponitur; nisi deputatis personis significauerint, libros esse adductos: qua etiam eosdem teneri volumus, si hos ipsos libros ante patiantur efferri, quã ab ijs, quorum libri sunt, eius rei potestas scripto concessa, manuq; prædictorum subscripta exhibeatur.

Libri differentes de rebus inter Catholicos & Hereticos controuersis, vulgariq; lingua conscripti non permittantur: quod si eos permitti ratio, siue necessitas postulet, ijs tantummodo concedantur, quibus Episcopus, aut Inquisitor, ex Parochi, Confessarijq; consilio, concedendos censuerint.

Qui

Qui verò horarias preces Beatæ Mariæ Virginis, vulgari lingua, vel partim vulgari, partim latina complectuntur, ij venales nullo modo exponantur, neq; vendãtur. Si qui verò libellos huiusmodi adhuc habeant, eos ad Episcopum, Inquisitoremuè confestim deferant, vt edita à Pio V. Constitutione sancitum est. Id autem totum Episcopi huius Prouinciæ edicto publico caueant.

Videat Episcopus, ne libros illos paruulos, quibus preces variæ continentur, falsis superstitiosisq; titulis aspersos quisquam aut habeat, aut vendat, nisi suo, aut Inquisitoris, aliorumuè Theologorum, quos huic muneri præfecerit, diligenti studio primùm recogniti & purgati sint.

Quoniam verò pestilentiores illi codices sunt, qui omni genere maledictorum referti, in Catholicam Religionem perniciosorum dogmatum virus effundunt, idcirco vetamus, ne quis Talmudicos libros, & nefaria huiusmodi Rabinorum scripta legere, habere, emere, vendere, aut euulgare audeat, propositis pœnis, quæ sunt Apostolicis sanctionibus constitutæ. Scrutentur ergo Episcopi diligenter singulas synagogas, & si quos huius generis libros inuenerint, statim comburant.

Libros præterea de Astrologia iudiciaria tractantes, ad præscriptum censuræ indicis librorum interdictorum, tolli penitus extirpariq; præcipimus, & mandamus; scripta item omnia Geomantiæ, Hydroman-

dromantiæ, & id genus alia, quibus diuinationes, sortilegia, superstitiones, & veneficia continentur, aboleri volumus, & iubemus, cum contumacibus ijs omnino pœnis acturi, quas iura & Constitutiones Apostolicę statuerunt.

De sacris Reliquijs. *Cap.* I.

ILlud Ecclesiarum Rectoribus vniuersis sine cuiusquam exceptione mandamus, vt quas in sua quisq; Ecclesia reliquias adseruari nouerint, earum ante tres menses elapsos indicem, & documenta ad Episcopum deferant, & apud Cancellarium Episcopalem eorum exemplum relinquant. Quæ verò constare ex documentis huiusmodi oportebit, hæc potissimùm erunt; Quæ reliquiæ sint; cuius Sancti; quamdiu in ea Ecclesia conseruatæ; quomodò ad eam allatæ; vbi repertæ, aliaq; eiusdem generis eodem spectantia: Quod si nihil afferri posit, quo hæc satis probentur, erunt saltem antiquę traditionis testimonijs in publicum Instrumentum relatis eadem demonstranda. In Archiuio Codex sit, vbi singula ad cognitionem reliquiarum pertinentia descri bantur. In nouis reliquijs, si quas in posterum contigerit inueniri, illud sedulò caueatur, vt nullus planè, siue is sęcularis, regularisue sit, eas, nisi ab Episcopo ante recognitas, & approbatas, iuxta formam à Concilio Tridentino præscriptam, quouis obtentu

pro-

promulgare, populóue colendas exponere audeat: Reliquiæ verò insignes, si quæ forte denuo reperiantur; non ante vulgentur, aut adorandæ proponantur, quàm Episcopi loci facultas accesserit. Quod si abusus aliquis inueteratus fuerit extirpandus, Synodalis Coepiscoporum licentia requiratur, atq; inconsulto Santiss.Rom.Pont.nihil noui, ex præscripto Tridentini Concilij,statuatur.

Caput II.

RElíquiæ nullæ inde, vbi sunt, aliò transferantur,nisi facta in scriptis ab Episcopo facultate; & ad eam plane rationem, quam ipse præscripserit. Quod si,propter populi pietatem, & consuetudinem, eas, vt moris est, circumferri aliquando oporteat; tum,præter Cleri, hominumque reliquorum frequentiam, & campanarum sono, & luminum copia eius rei maiestas exprimatur;vtq;Ecclesia ipsa quàm fieri decentissime posit ornetur, cu randum erit. Nulli omnino, qui Sacerdos, Diaconusuè saltem non sit, atq; idem sacris vestibus indutus, nec, nisi cũ eximia pietatis & cultus significatione,contrectare sacras reliquias liceat: Corpora item Sanctorum, quæ perpetuæ sepulturæ commendata sunt, sine Summi Pontificis facultate, vel Synodali Coepiscoporum licentia inde, vbi sunt, in alium locun minime transferantur.

Caput

Caput III.

VAscula, arcæ, aliaq; omnia, quibus reliquiæ conditæ adseruantur, ita ornata habeantur, vt eorum, quorum illa viuentium vasa fuerunt, sanctitati respondeant. Ante insignes, & in publico collocatas reliquias, quamdiu eæ expositæ fuerint, assiduè lampas colluceat. Ex duabus minimùm clauibus, quibus illæ muniendæ erunt, altera Rectori Ecclesiæ, altera ei, quem idoneum ad id Episcopus iudicauerit, committatur. Has verò quemadmodum nec vulgò omnibus, nec nisi iusta de causa credi par erit, ita, sine Episcopi, eiusuè Vicarij Generalis concessu, non cuiuis facilè ab ipsis custodibus reliquias videndi copiam fieri oportebit. Parochus, qua pietate Sanctorum reliquias venerari Christianum populum deceat, Fidelibus sæpe exponat.

De sacris Imaginibus. Cap. I.

IN sacris imaginibus, aut iam pictis, aut pingendis, in posterum ea ad vnguem seruari volumus, quæ sunt Concilij Tridentini sanctione decreta. Nihil igitur sacrum, anathematis pœna proposita, nisi consulto, & annuente Episcopo pingi, fingiuè fas sit. Is autem nullam planè imaginem falsi cuiusquam dogmatis indicem, aut erroris materiam rudibus ministrantem, aut à sacris literis, &

Ecclesia-

Ecclesiastica traditione abhorrentem, aut denique incertum quid, apocryphum, superstitiosum, insolitum, profanum, turpe, obscœnum, inhonestum, curiosum, & quoquomodo Fidelium mẽtes offendens subijcientem, oculis repræsentari, vel in Ecclesia, vel alicubi publicè patiatur. Sacrarum verò imaginum habitus, status, ornatus, sanctitati, dignitatiq; eorum, quorum imagines sunt, ita decorè, congruenterq; respondeant, vt solo illarum aspectu Fideles ad pietatem excitentur. Si qua verò ab huius pręscripto formulæ aliena reperiantur, intra annum omnino corrigantur.

Caput II.

AD sacras imagines in posterum coloribus exprimendas, pictores deligantur ij, quorum peritia cognita habeatur; loca sordida & lutulenta, humori item, fenestris, stillicidijs, clauisq; figendis obnoxia ad pingendum vitentur. Ad cuiusque sancti imaginem, eiuş nomen addatur. Vestitus omnis ornatusq; profanus à Sanctis absit. Sacræ imagines non nisi ab Episcopo, de more solemni benedictione adhibita, in Ecclesia proponantur. Earum noua miracula non ante admittantur, aut vota ijsdem oblata suscipiantur, quàm de re tota Episcopus, adhibitis in concilium Theologis, alijsq; pijs viris, diligenter cognouerit. Quę summa populi frequentia, pietate, necnon Episcopi approbatione coluntur, ex

eleemosynis à fidelibus eò collatis, lampadis perpetuo ardentis honore augeantur; atq; hunc, duabus cereis faculis additis, auctiorem etiam reddere diebus festis, maximè laudabile iudicamus.

De cultu festorum dierum. Cap. I.

QVemadmodum festorũ dierũ cultum, neminẽ esse arbitramur, qui nesciat iuris esse diuini; ita omnes credimus intelligere, singulari pietatis studio celebrari eos à fidelibus oportere. Ergo diebus ijs, quos festos agere consueuit Ecclesia, nihil aut laboris, aut operis suscipiatur, quod illiberale videri posit: emendis vendendisq; rebus omnibus abstineatur, nisi si quid ægrotantium vsui, & saluti necessarium iudicetur: officinarum portæ, præter eas, quæ propter superiorem causam tolerantur, non pateant. Nundinæ, quæ in diem festum incurrunt, vel in præcedentem, vel in sequentem profestum reijciantur, iuxta Pij V. aliorumq; summorum Pontificum Constitutiones.

Pignora, ne ipsorum quidem piorum montium, pupillorumue bona ad præconis vocem sub hasta non veneant: Iustitium vbiq; sit; contractus nulli celebrentur, nec iuramenta præstentur. In omnibus tamen supradictis, casus à iure permissos excipimus.

Caput II.

SCiat Parochus, sui muneris esse, quicquid diebus festis peccetur, id totum paternè simul, acriterq; corripere; atque ideo caueat, ne populus sibi commissus, dum festis diebus diuinis officijs dare operam debet, turpibus occupationibus, etiam prætextu consuetudinis, quæ corruptela meritò dici potest, intentus sit: quod si per negligentiam, aliamue causam omiserit, Vicarius foraneus, pro sua authoritate, vel reos puniat, vel rem totam ad Episcopum deferat: hic autem, cum sontibus meritas pœnas constituat, tum Parochum ipsum, Vicariumque foraneum, si hos officio suo defuisse compererit, impunes abire non sinat.

Caput III.

NEmo diebus festis iter ante suscipiat, quàm missæ sacrificio interfuerit; nisi tãta sit propinquitas loci, quem meditetur, ut, eò, se commodè peruenturum in tempore, pro certo habeat. Ecclesiastici, ijq; maximè, quibus residendi onus impositum est, ad populum, ut idem faciat, suo exemplo commonendum, in uiam die festo, nisi necessarijs de causis, factaq; sibi, uel ab Episcopo, uel ab eius Vicario facultate, nunquam se dent. Ne quis uerò dubitandi locus rudibus relinquatur, sta-

tuendum eſt, quidquid ſpatij à dimidio noctis, ad alterum dimidium proximè inſequentis eſt interiectum, id totum diei feſti nomine contineri: quiſquis hoc tempore aliquod ſeruile opus tractauerit; ijs exceptis, quæ iura quandoque licere voluerunt, Epiſcopi, eiuſue Vicarij Generalis in Ciuitate; Foranei verò in diœceſi, Parochiuè loci; ſi neceſsitas cogat, declaratione adhibita, is & diem feſtum ab ſe violatum, & mortalem culpam ſibi contractam eſſe intelligat.

Caput IV.

QVos dies feſtos agi Romana ſanxit Eccleſia, eorum omnium cultum ſine vlla exceptione præcipimus. Eum item, qui Patrono Parochialis Eccleſiæ dicatus eſt, ſaltem quoad miſſam attinet audiendam, feſtum eſſe omnibus volumus, qui Parochiæ illius finibus continentur; atque id, ne per ignorantiam negligatur, præcedenti Dominico die, dum diuina myſteria peraguntur, Parochus populo nunciabit.

Coli etiam dies feſtos iubemus eos, quos laudabilis conſuetudo recepit. Vt ſuas quiſq; parochias frequentent, ibiq; miſſæ, concioniq; interſint, Populum Parochus ſæpe hortabitur. Matres etiam, & Patres familias commonebit, vt ſecum filios ad Eccleſiam ducant; & quo tempore, vel Chriſtianæ Doctri-

Doctrinæ Rudimenta traduntur, vel vesperæ recitantur, tum maxime adsint. Demum verò dies festos sic exigant, vt est sacrorum Canonum Concilij Tridentini, Pij V. aliorumq; summorum Pontificum decretis, sanctionibusq; præscriptum. Huic verò muneri nisi Curati, Vicarijq; foranei, quibus huiusmodi onus imponimus, satisfecerint, non modo nos eorum conscientiam oneramus, sed ipsi etiam, in se grauiter animaduersum iri ab Episcopis, sciant. A sacris mysterijs quisquam ante non abeat, quàm sacerdos populo benedixerit; alioquin se non implesse præceptum nouerit. Onus verò illius irreligiosæ consuetudinis, ducendi choreas in Sanctorum solemnitatibus, ab hac Prouincia depellendæ, Vicariorum, ac præsertim foraneorum, & Parochorum curæ Synodo hac Prouinciali committitur. Prope autem Ecclesias, huiusmodi saltationes, alijq; omnes strepitus omnino, pœna etiam interdicti proposita, prohibeantur: indignissimum siquidem est, vt, quæ tempora diuinis beneficijs recolendis, prædicandisq; laudibus tribuēda sunt, ea profanis oblectationibus, atq; impurarum voluptatum illecebris cōcedantur.

Caput V.

AD anniuersarios aliarum Ecclesiarum dies celebrandos, diebus ijs, qui ex præcepto, voto, aut consuetudine festi aguntur, quàm rarissimè

rissimè Curati accedant,ne, dum alieni gregis commoda curant, suas interim oues,quæ,propter imbecillitatem, vel ætatis, vel corporis, aliamue causam, domo longiùs abire non possunt,sacrificio missæ carere patiantur. Ad quorum Ecclesias, propter diei alicuius festi celebrationem,conuenitur, ij nec multos, & vicinos presbyteros conuocent: hi verò gregem suum ante non deserant, quàm sibi vel sacerdotem alterum, ad rem sacram populo faciendam, suffecerint, vel eum pręcedenti die Dominico commonuerint;ut uel ad Ecclesiam,cuius dies festus agitur, uel, si minus eò possint, ad eam, quæ propius absit, missæ causa accedant: duos autem continuos dies ab Ecclesia sua propter hanc causam abesse cuiquam non liceat. Quater tantùm in singulos annos ad huiusmodi celebritates conueniendi,cuiq; Curato Vicarius foraneus facultatem, eamq; scripto expressam concedat: caueat autem, ne huius rei gratia ad ullorum Ecclesias adeant,pręter quàm eorum, quos ipsi etiam ad suas, ob eandem causam, ex edicto iam promulgato inuitare possunt, quasi gratiam suo tempore relaturi. Si quis sine superpelliceo, talariq; ueste accesserit, à Vicario foraneo aureo nummo mulctetur; quæ pœna illi etiam, cuius Ecclesiæ dies festus est,irrogetur,si Christianæ doctrinæ exercitium, aut uesperas eo die omiserit, nec debitam in conuiuio frugalitatem, & modestiam retinuerit. Modesta sit & frugalis mensa. Dignior uersum ante

mensam

mensam incipiat;cibumq́ue,vt moris est,benedicat. Dum cibus sumitur, non corpora magis epulis, quàm animi sacra aliqua lectione pascantur; atque ideo à Clerico aliquid de sãcta Scriptura legatur;vel ab aliquo Conuiuarum quæstio ex sacris litteris proponatur, & soluatur proposita; vt inanibus, futilibusq; collocutionibus nullus plane sit locus. Verba & sententiæ sacræ Scripturæ ad scurrilia non torqueantur;neq; plus,quam necesse est, corpori seruiatur;sed sola eius infirmitas reficiatur. Post cibum sũptum, ad exemplum Domini N. Iesu Christi, gratiæ agantur. Si quos dies ex voto,vel ex pietate,non autem ex Ecclesiæ præcepto,vti festos,celebrari contigerit, aut anniuersarijs defunctorum,piorumue legatorum institutioni satis fuerit faciendum, tum Curato Sacerdotes,quot opus fuerint,conuocandi à Vicario foraneo, si ita opportunum censuerit, potestas fiat. Ipse autem sacris omnibus festis, conuenientibus, qui intra Regionem sui Vicariatus habebuntur,semper intersit.Qui,eo absente,inscióque,habuerit,vel ad eos sine facultate accesserit, præscriptumuè Sacerdotum numerum, & locorum vicinitatem excesserit,duos aureos nummos mulctę nomine soluere cogatur. Nihil, quod aliorum animos posit offendere, committatur. Curatus in Ecclesia sine superpelliceo conspici se toto illo die non sinat;& sacramenta prompte atque alacriter poscentibus præbeat. Vagationes per Ecclesiam, aut prope eam sint

nullæ;

nullæ;sed omnes huius generis corruptelæ tollantur. Missę congruentibus spatijs interuallisq; debitis celebrentur. Dum diuinis officijs opera datur, excursiones à reliquis Sacerdotibus per cœmeteria, plateasq; non fiant; quin potiùs illud pietatis specimen & religionis edatur, vt & Fideles ad sanctitatem eorum exemplo excitentur, & ipsi, qui alijs pręlucere omnibus Christianis virtutibus debent, lucernæ in edito loco positæ meritò iudicentur.

De Sacramentis. Cap. I.

SEptenario numero contineri Sacramenta Ecclesiæ, docet eius perpetuus & inuiolabilis vsus: hæc autem, quæ velut septem remedia Deus esse hominibus voluit, quibus & criminum sordes eluerentur, & diuina gratia pararetur, sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium. Quanta sit eorum vis ad gratiam conferendam, peccatorum maculas abstergendas, augendasq; virtutes, nihil est quod hoc loco explicetur; si quidem à Christo sunt instituta, & peculiari nomine Sacramenta à veteribus appellata: commonendi solum Parochi sunt, vt ad ea, quæ in illis ritè administrandis seruari oportet, animum diligenter aduertant. Primùm igitur, Sacramenta Sacerdotes ministrent ij, quibus ordinaria, vel subdelegata potestas, & iurisdictio

est:

est: in ipsa verò administratione cum talari veste, Clericaliq; bireto, superpelliceum mundum, & decentem stolam, aliumue amictum adhibeant, quem Romanæ Ecclesię ritus in eo sacramento ministrando requirat: galero caput nunquam operiant, dum tam sacra mysteria obeunt; ad quę tantam grauitatem, modestiam & pietatem afferre debebunt, quantam diuina hęc mysteria tractantibus conuenire intelligunt. Habeant singuli Parochi ritualem Romanum librum, & ab eius præscripto ne minimum quidem in Sacramentis ministrandis recedant.

Caput II.

AT verò quoniam in Sacramentis aliud sub sensum cadit, aliud est, idcirco a Parocho, dum vnumquodque sacramentum exhibetur, quid ea re fiat, populo declarandum est: cum enim constet, in sacramentis, per signa quædam sub sensum cadentia, inuisibilem gratiam infundi, meritò credentium fides, & pietas in Deum externis signis excitanda est. Parochi ergo piè prudenterq; vulgari lingua, iuxta formam à Catechismo Romano præscriptam, illorum vim, & vsum, pro suscipientium captu, exponant, vt ad ea sumenda fidelis populus maiori cum reuerentia, atque animi deuotione accedat.

QVoniam per Baptismum, quasi per quandam ianuam, ad reliqua Sacramenta patet ingressus, hinc fit, vt ab eo ordiendum iure optimo videatur. Doceatur itaq; à Parocho populus, eam vim huius Sacramenti esse, vt non modò, culpis omnibus condonatis, eo vetus homo penitus exuatur, sed ab omni etiam labe purus & integer, per fidem in Christum, rursus nascatur. Sui etiam officij Susceptores, qui Patrini dicuntur, commoneantur; hoc enim meminisse oportet, se eos esse, qui Ecclesiæ nomine per Baptismum Christo paruulos offerant, & fidem suam, dum pro ijs respondent, velu ti fideiussores quidam obstringant. Quapropter, quemuis de sacro fonte susceperint, vbi primum is adoleuerit, si necessitas postulet, eum Symbolo, & Dominica oratione instituent; tum, vt vitam Christo, Christianaq; professione dignam perpetuò agat, hortari non desinent. Quod vt facere plenius queat, nō ore tantùm, sed corde etiā, & seriò ad interrogata respondeant, suiq; muneris partes perfectè teneant. Eos ad huiusmodi ministerium volumus adhiberi, qui ad prouectam ætatem, plenam quoq; fidei cognitionem, notitiamq; adiunxerint.

Caput

Caput II.

APostoli præceptum est, vt honestè omnia, & ordinè in Ecclesia fiant; quamobrem sic ministrari Baptismum, & suscipi necesse erit, vt in Deo, & in eo ipso, quod agitur, mens tota defixa sit. Quæcumque igitur vel Susceptorum, vel eorum, qui adsunt, Fidelium animos auocare à pijs cogitationibus possunt, ea vniuersa tollantur: & quoniam hic Satanæ, omnibusq; operibus eius, & pompis planè renunciatur, tanta mentis demissione, & fide in Deum ad rem omnium celeberrimam accedatur, quanta eos legimus accessisse, qui Christo paruulos, vt eis manus imponeret, obtulerunt: Atq; vt in ipso Baptismo de salute potiùs infantis, quàm de nomine cogitetur, parentes, & Susceptores de eo ante statutum inter se habeant.

Caput III.

EOS, Susceptorum munere fungi prohibeat Parochus, quos neq; sacram Eucharistiam sumpsisse, neq; confessionem eo anno obijsse compererit; eos item, qui vel excommunicati, vel interdicti, vel condemnati, vel aliqua infamiæ nota inusti sint, vna cum ijs, qui fidei rudimenta ignorent, procul esse ab hoc officio iubeat.

Caput IV.

DOcendus præterea populus erit à Parocho, quid Catechesis, & reliquæ cæremoniæ, quas in tanto sacramento administrando vsurpare Ecclesia consueuit, significent; quæ omnia, vt sunt plena mysterijs, ita eorum cognitionem ex Romano Catechismo accipiet.

Caput V.

BAptismus, præter quàm in Ecclesia, nullibi aut sumatur, aut præbeatur, nisi secus fieri necessitas postulet; tunc verò nec sine Episcopi, eiusue Vicarij Generalis in Ciuitate, nec sine Vicarij foranei cõcessu in diœcesi ministretur. Quodsi iusta aliqua de causa domi fuerit infanti Baptismus exhibitus, nihilominus ad Ecclesiam deferatur, ibiq;, vt moris est, Catechesis tantùm à Parocho adhibeatur: qui ad huiusmodi ministeriũ nunquã accedet, nisi & decenti, vt supra declaratum est, habitu, & vno saltem Clerico comitante: Hic verò, & superpelliceo sit indutus, &, quamdiu res tanta peragitur, ardentem faculam manibus gerat: Vt autem meliùs præstare omnia, & scire Parochus possit, librum habeat Romanæ Ecclesię ritibus & vsui congruentem, à quoque Episcopo in sua diœcesi approbatum.

Cap.

Caput VI.

DVm festis diebus concionem Parochus ad populum habet, illud Fidelibus crebrò incul cet, si paruulum extra Ecclesiam baptizari necessitas cogat, non licere mulieri, præsente viro, nisi forte baptismi formam meliùs illa teneat, nec viro, præsente Clerico, nec minori, pręsente maiori, Sacramentum huiusmodi ministrare; doceatq;, parentibus ab eo filijs exhibendo, propter spiritualis affinitatis impedimentum, omnino abstinendum esse. Quærat etiam ex obstetricibus, & experiendo cognoscat, vtrum, quæ sit forma baptismi, probè intelligant, materiamq; huic sacramento necessariam sciant: quęnã esse debeat Baptismum præbentis intentio: quomodo, quoue tempore ad materiam adiungi verba oporteat: si quas verò rudes indocilesq; offenderit, eas ab officio desistere iubeat. Hęc autem omnia Episcopus, maximè in visitatione, per se ipse curabit.

Caput VII.

MOneantur præterea Compatres, non modò susceptos sibi esse rudimentis fidei imbuendos, eosq; ad castitatem, Iustitiam, Charitatemq; perpetuò colendam hortandos, sed contractã esse etiam cognationem spiritualem; quam tamẽ ad Susceptores, & susceptum, huiusq; parentes, necnon

ad ba-

ad baptizantem, & baptizatum, eiuſdemq; patrem, & matrem ſolummodo pertinere, docendum erit; eamdemq; non niſi ex Baptiſmo, & Confirmatione oriri, cuius ea vis ſit, vt matrimonium contrahēdum impediat, & contractum dirimat, quemadmodum & Tridentina ſynodo, & Pij V. Conſtitutione ſancitum eſt.

Caput VIII.

TRia ad ſacrum fontem vaſcula adſeruentur, eaque populi ſumptibus, ſi fieri poſsit, argentea, vel ſaltem ſtannea, eleganti opere. Vnius forma ſit, veluti cochlearis, ad baptizandi caput ter, ex Prouinciæ & diœceſis ritu leuiter aſpergendum: Reliqua duo coniuncta, loculos diſtinctos habentia, quorum alterum Chriſma, alterum Cathecumenorum oleum contineat: ſua verò vtriq; inſcriptio, ad vitandum errorem ſit addita. At verò Parochi, alijuè ſacerdotes, non frontem, quod Epiſcoporum eſt proprium, ſed ſummum infantis verticem liniant. Sit etiam in Baptiſterio baptiſmalis liber, bombix, & linteolum, ad paruulos abſtergendos. Fontem ad eam planè formam vbiq; volumus excitari, quam generatim ſingulis huius Prouinciæ noſtræ Eccleſijs præſcribemus. Illud etiam hoc decreto concedimus; vt in quaq; curata Eccleſia, modo Ordinarij facultas, & Plebani conſenſus acceſſerint, exſtrui Baptiſterium

poſsit;

posſit; atque id propter periculorum frequentiam, quæ ex plebium, & fontium longinquitate contingunt.

Caput IX.

HOrtentur puerperas Parochi, vt, cum primũ à partu domo pedem extulerint, nuſquam aliò, quàm ad Eccleſiam, in cuius ipſæ parochiali vicinia degunt, acturę Deo gratias, pergant, vt ibi à Parocho benedictionem de more ſuſcipiant; quod Innocentij III. Conſtitutione cauetur. Nos autem decretis ſacrorum Canonum inſiſtentes, excommunicationis pœna propoſita, iiſdem præcipimus, ne intra decimum menſem infantes ſine vlla cautione iacere ſecum in lecto patiantur; ſiquidem periculum eſt, ne ij, per incuriam intercluſo ſpiritu, obruantur.

Caput X.

VIdeant accuratè Parochi, ne quid infantibus ad Baptiſmum ſuſcipiendum delatis annexum ſit, cuius eſſe vſus aliquis in ſuperſtitionibus poſsit, ne, quæ ad pietatis opus inſtituta ſunt, profanis manibus ad veneficia conuertantur: curentq; pariter, ne ſal exorcizatum, linteolum, candelam & aquam, quibus vſi fuerint in miniſtrando Baptiſmo,

mo, vel obstetrices, vel alij quiq; domum ex Ecclesia auferant; sed ea omnia, suis quæq; locis, adseruent; habeantq;, vt supra etiam dictum est, in sacro fonte, ad abstergendos infantes, mappam perpetuò mundam.

Caput XI.

SVus cuiq; Parocho Codex sit, isq; diligenti cura seruatus, in quem eorum, qui baptizantur, parẽtum, & Compatrum nomina, ac cognomina, referat, diemq;, quo quisq; natus, ac Baptismo initiatus est; atq;, vtrum ex legitimo matrimonio procreatus sit, fideliter exprimat: huius verò per singulos annos exemplum, iuxta formam a nobis traditam in synodo, quotannis exhibeat; tutoq; in Archiuio seruandum præterea curent Episcopi. Libri inspiciendi, propter iustissimas causas, nulli prorsus potestas fiat, nisi Episcopus, eiusue Generalis Vicarius facultatem scripto concesserit. In Baptizandis expositis illud seruetur, quod à Doctoribus, Romanoque maximè Catechismo præceptum est.

De Sacramento Confirmationis Cap. I.

COonfirmationis sacramentum cum summo honore coli oportere, Tridẽtina synodus sanxit; tum illius administrationem ad solos põtifices, atq; Episcopos pertinere.

Caput

Caput II.

QVotieſcumq; vel tempus inciderit, vel oportunum Parochi iudicauerint, apud Populū ſibi commiſſum breuiter & dilucidè de Cōfirmationis origine,& de ſacri Chriſmatis myſteriò agant,eumq; ad tam vtilis ſacramenti deſiderium excitare ſtudeant,non modò,vt ad illud ſuſcipiendum promptus,paratuſq; ſit,ſed etiam,vt pleniorem eorū notitiam aſſequatur,quæ,dum huiuſmodi Sacramentum exhibebitur,dicentur,& fient. Adultis verò authores ſint,ne ad eius ſuſceptionem ante accedant, quàm ſe peccatorum confeſsione expiauerint.

Cap. III.

ANtequam Sacramenti huius adminiſtratio peragatur,Dominico præcedenti die,populū Parochus diligenter inſtituat de ijs omnibus, quæ ad eam rem neceſſariò requiruntur. Quod ſi mane conferendum ſit,omnes,vt ieiuni adſint,hortetur,ſtatuatq; diem ante adminiſtrationem ad publicas preces,vt,poſt eas piè Religioſèq; ad Deum effuſas,Spiritus Sancti dona per tam admirabile Sacramentum ſuſcipere mereantur.Seligat propterea confirmandos,eoſq;, vt in inceſſu,ſtatu,veſtituq; modeſtiam ſeruent,admoneat:Selecti verò,niſi aliter Epiſcopo viſum fuerit,& ſeptimum omnes annum excedant,

cedant,

cedant,& de rebus ad id Sacramentum pertinentibus doceantur .

Cap. IIII.

DEt operam Parochus,vt nemo ex omnibus, quos sibi commissos nouit, Sacramenti huius sit expers.Si quem verò iam natu grandem expertem compererit,hunc à tali tantoq; beneficio per humanam verecundiam amittendo deterreat,atque ad singulare præsidium animę sibi comparandum inflammet .

Caput V.

NE illud quidem omittat Parochus, cauendũ sedulò esse,ne sacramentũ hoc iteratò quisquam suscipiat:quemadmodum enim graui crimine se illi obstringunt, qui per negligentiam sumere prætermittũt;ita planè sacrilegi sunt,qui rursus ad illud accedere non verentur . Nullum etiam ex aliena diœcesi ad susceptionem confirmationis admittat,nisi is ab ipso suo ordinario huius rei facultatem sibi factam,scriptoq; datam ostenderit.

Caput

Caput VI.

EOdem die Dominico præcedenti, quos quisq; patrinos decreuerit adhibere, diligenter inquirat & videat Parochus. Ex ijs verò, præsertim ex Rudioribus, sciscitetur, vtrũ orationem Dominicam, salutationem Angelicam, fidei symbolum, præcepta legis, & reliqua Christianæ disciplinæ rudiměta nouerint; vt ea, si ita videatur, Confirmationis mysterium Episcopo exibente, recitare possint. Caueat autem, ne à parentibus filij, neuè à fœminis mares, atque ita vicissim, vbi sit commodum, suscipiantur: atque vt ritè omnia, & ordine fiant, ne quis in Ecclesia tumultus sit, accuratè prouideat. Nec confusè & permistim omnibus ministretur hoc sacramentũ; sed seorsim viris, ac mulieribus, illis prius, his verò posterius. Quod vt fieri commodiùs, minorique perturbatione liceat, in alrera parte mares, in altera fœminę statuentur; omnes autem nixi genibus, iunctisque ante pectus manibus, suo quiquè loco, & ordine pias religiosasque præces ad Deum fundant. collocutionibus vanis, omnique vociferatione, & strepitu ita abstineant, vt vbique sacrum silentium sit. Illud quoque ad extremum curetur, ne minores, grandiores natu suscipiant; absurdum siquidem est, vt ij pro patribus habeantur, qui inferiores ætate sunt.

Caput VII.

VT quiq; fuerint sacro oleo ab Episcopo deli buti, ita etiam diligenter à Sacerdote primùm bombice abstergantur; deinde ab alio, qui saltem subdiaconus sit, aqua abluantur: hæc vero nusquam aliò, quàm in Sacrarium Baptisterij effundatur. Doceantur interim confirmati, ne prius ex Ecclesia abeant, quàm mysterij huius tota actio fuerit absoluta, omnesq; Episcopali benedictione dimissi. Pueris, qui nondum decimumquintum annum exegerint; candida, puraq; fascia pars inuncta Chrismate astringatur, neque ante posterum diem soluatur. Cum maioribus natu seruentur ea, quæ paulò ante præscripsimus.

Caput VIII.

COnfirmatorum, eorumque parentum, & compatrum nomina Parochi in Codicem referãt, quem ad hunc vsum promptum, paratumq; habebunt; vt, si ita res ferat, quæ cuique affinitas cum alio intercedat, statim videri possit: eius verò exemplum quotannis ad Synodum ferant.

De Sa-

VT auguſtiſsimum Euchariſtiæ Sacramentũ in altari decentiſsimè cuſtodiatur, & aſſeruetur, quantam maximam poterit, diligentiam Parochus adhibebit. Ad hanc rem tabernaculũ ligneum exſtruatur, auro ſacriſque imaginibus ab exteriori parte ornatum; intus verò panno ſerico rubri coloris, inauratis clauiculis aptè affixo circumueſtitum. Ima pars interior corporali ſternatur, ad excipiendas ſacras particulas, ſi quæ interdum aliquo caſu deciderent. Oſtiolum ita latum ſit, vt commode inferri pyxis, efferrique poſſit, eius fores duobus innixæ cardinibus facilè circumagantur, atque extrorſum aperiantur: claui muniantur, eaq́uè nulli, ne ipſis quidem clericis committatur. Qua in re ſi Parochus fuerit negligentior, graues ſibi pœnas ex canonum decretis propoſitas eſſe meminerit.

Caput II.

TAbernaculum in altari rectè & firmiter ſtatuatur; ita verò depreſſè, vt, nullis ſubiectis gradibus, eius oſtiolum a ſacerdote claudi, recludiq; commodiſsimè poſſit. Eleganti conopæo, tectum perpetuo ſit, cuius color, ſi fieri poſſit, pro tẽporum ratione & varietate mutetur. in eo nec ſacris reliquijs, nec alijs quibuſuis rebus vllus omnino ſit lo

cus: ſub

cus:ſub eo nullum prorſus armarium exſtruatur.

Caput III.

PArochiali cuique Eccleſiæ, duæ ſaltem argenteæ, intuſquè inauratæ pyxides ſint; quarum altera populo ſacroſancta Euchariſtia miniſtretur, ad ægrotos altera deferatur. Hæ ſēper decenti velo ſint tectæ. Incluſas continuò habeant, ad omnem fidelis populi neceſsitatem & vſum, ſacras hoſtias minimùm quinq; Has octauo quoq; die Parochus renouet, maxime verò, ſi commodum ſit, quinta quaque feria, quo die Sanctiſsimum hoc Sacramētum a Chriſto Domino inſtitutum fuit. Hoſtię recentes, hoc eſt, ante quindenos ad ſummum dies confectæ adhibeātur; quæ non ante conſacrentur & includātur, quàm veteres omnes adminiſtratæ ſint, earumque fragmenta conſumpta.

Caput IIII.

ILlud verò ante omnia curabit diligentiſsimè Parochus, vt cùm ipſe, quanto fieri poſſit maximo ſtudio pietatis & cultu, venerandum hoc Sacramentum tractet, cuſtodiat & miniſtret; tùm populus ſibi commiſſus illud religioſiſsimè veneretur, & ſancte crebroq; ſuſcipiat. Hinc talari veſte, ſuppelliceo mundo, ſtola rubri coloris, cereiſque in ipſo altari arden-

dentibus tantum ſacramentum tractare non audeat, Quod ſi vel alio aſportandum, vel Supplicationis cauſa in altari fuerit exponēdum, id, non niſi ſacrā aliqua precatione & thurificatione adhibita, fiat, a-alijs etiam clericis aſsiſtentibus, vbi fieri commodè poſsit; ſin minus: vno ſaltem, qui ſuperpelliceo ſit indutus, aſtante. Qui ſecus fixit, ſciat ſe grauiſsimis pœnis ad Epiſcopi arbitrium fore obnoxium.

Caput V.

PVblica tantùm, eaq. iuſta, grauiq. de cauſa, palam proponere liceat; grauis autem ea cenſeatur, & iuſta, quam in Vrbe Epiſcopus; in diœceſi Vicarius foraneus eſſe huiuſmodi iudicauerit. Neque tamen, quin alijs quoque de cauſis inſtitui poſsit oratio, prohibetur, modò ſacramentum non exponatur: Exponi verò in altari ſolùm maiori fas ſit, niſi Epiſcopus in alio etiam, id vt fiat, permiſerit. Omnino vbicunque expoſitum fuerit, locus ſit decenter, & religioſè ornatus.

Caput VI.

IN altari cereæ faculæ ſaltem ſex, lampades minimùm duæ ſemper præluceant in eo lucernæ; aliaue inſtrumenta oleo lumen alentia, ſi fieri aliter poſsit, non collocentur. Qui parere renuerint, arbitrio Epiſcopi puniantur.

Caput

PRidie eius diei, quo Sacramentum, orationis causa, publicè proponi decretum fuerit, sub vesperam, iterumque eo ipso die, paulò antequam proponatur, campanæ de more pulsentur; Sacerdos deinde adsit cum pluuiali rubro, & stola. Hic, Clero illius Ecclesiæ, vbi oratio futura est, necnon Parochialis cum superpelliceis prosequente, Sacrametum rite & religiosè exponat. Si quis ad tam piam functionem conuenire neglexerit, eius nomen ad Episcopum à Parocho deferatur, vt ab eo omissi officij pœnam suscipiat. Quod si, qui conuenerint, illius, vel Parochialis Ecclesiæ Clerici senarium numerum non expleuerint, aliunde alij, cum suis quique accensis cereis, euocentur, ne pauciores eo numero sint. Inuitentur præterea omnes, qui in ea Parochia degunt, intra cuius fines Ecclesia est, in qua oratio celebratur; maximè verò omnium illi, qui in sacratissimi Sacramenti sodalitatem adscripti sunt. Sicubi verò nondum huiusmodi sodalitas instituta esset, curent Episcopi, ne tam vbere fructu Fideles careant. Quod igitur ad Ciuitates attinet, in vnaquaque Cathedrali Ecclesia; quod ad Diœcesim, in singulis parochialibus, si fieri commodè possit, instituantur, impetratis etiam indulgentijs solitis, ad Christiani populi animos religione acriùs inflammandos.

Caput VIII.

QVotiescumque Sacramentum exponi, reponiuè contingat, expositum per Ecclesiam ardentibus cereis, præeunte Clero, & populo subsequente, sub vmbella circumferatur: interim verò litaniæ, aliæq. ad id pertinentes precationes adhibeantur. Quamdiu in altari expositum fuerit, duo Clerici, quorum alter Diaconus sit, amicti superpelliceis interdiu semper assistant; noctu verò vnus saltem, atque is in sacro ordine constitutus assiduè excubet.

Caput IX.

SApientissimè plurimorum Conciliorum decretis sancitum est, vt semel saltem singulis annis oues à suis quæque Parochis cognoscantur. Quapropter, nemini in posterum, præterquam in sua parochiali Ecclesia, sacram Eucharistiam licere sumere in Pascha Resurrectionis mandamus: Si quis autem eo tempore alibi suscipere abusus fuerit, sciat se præceptum Ecclesiæ non implesse; Sacerdotem verò, qui ministrauerit, ex Canonum disciplina punitum iri.

Caput X.

CLericos verò omnes, & Sacerdotes monitos volumus, vt tantam huic sacramento venerationem adhibeant, vt ad idem faciendum suo exemplo reliquos Fideles commoneant. Si quando igitur ad ægrotos deferri oportere contigerit, quicumque in Ecclesia, vel sacrario fuerint, præter eum, qui eo tempore Missæ sacrificium populo sit facturus, sanctissimum Sacramentum omnes sequatur. Si in foro, vel in via alibi fuerint, flexis primù genibus Venerati assurgant; tum domum vsque ægroti, atque inde ad Ecclesiam comitentur: Nec quisquam clericalis ordinis vir, officium tam recti pijq. exempli prætcrire, sibi licere arbitretur. Aegrotis, deuotionis ergo, sacratissimum Christi Domini N. Corpus, vel ante, vel post viaticum sumere cupientibus, debito Ecclesiæ seruato ieiunio, concedatur, modò semel tantùm viatici nomine præbeatur.

Caput XI.

EVcharistiam ad ægrotos Parochus delaturus, postquàm certis campanæ ictibus, suæ parochialis Ecclesiæ Clericos, atque omnes Christi Fideles, eosque potissimùm, qui ex sanctissimi Sacramenti sodalitate fuerint, in eandem Ecclesiam conuocauerit, cereis, vmbellaque paratis, manus

ante

ante abluat, deinde superpelliceo, stola, pluuialiq. rubro indutus, quæ semper ad huiusmodi ministerium adhibebit, nixis ante altare genibus, paululum tacitus oret; mox ascendat, genu flectat, tabernaculi ostiolum pandat, flexo iterum genu pyxidem velo tectam depromat, atque in corporali, quod ante explicatum in ipso altari esse oportet, constituat; rursusq. genuflexione adhibita, clausoq. ostiolo, velatis, vbi commodum sit, rubro amictu serico humeris brachijsq. pyxidem eodem velo tectam vtraq. manu ita suscipiat, vt sinistra pedem, dextra globulum, siue nodum teneat; sub vmbella demum procedat, eaque à dignioribus laicis elata gestetur. Præeat Clericus cum vasculo aquę benedictæ, aspergillo, & tintinnabulo, ad cuius sonitum certis interuallis editum Christianus populus, ad sanctissimum Sacramentum curuatis genibus venerandum, inuitatus prodeat. Clericus item alter, si eius copia sit, adhibeatur, cui corporale sacculo rubro inclusum ante pectus decenter ferendum detur, vnà cum rituali libro, qui, iuxta vsum Romanæ Ecclesiæ, per totam, vt iam dictum est, diœcesim probatus, receptusq. sit; ex eo Parochus recitet quæ ad huiusmodi functionem pertineant. Duo denique ex sanctissimi Sacramenti sodalitate, pro locorum consuetudine, laternis inclusos cereos præferant, quo aduersus omnes imbrium ventorumq. iniurias, hyberno potissimùm tempore, tecti munitiq. sint.

Caput XI.

DVm eò, quò eundum est, perueniatur, Psalmos, qui pœnitentiales dicuntur, sine vlla intermissione Parochus recitet; ac, si longius iter fuerit, eosdem repetat; maximè verò eum, cuius initium est, *Miserere*; Hymnos etiam, Psalmosq. alios, ac pias precationes eodem spectantes adiungat, donec via tota confecta sit: Quod ipsum cæteri quoque Sacerdotes, & Clerici, qui prosequentur, alternatim cũ eo faciant. Fideles reliqui, ipsi etiã orantes, non gregatim, sed bini incedant, eo omnino ordine, vt primum locum sanctissimi Sacramenti sodales occupent; alterò viri omnis alij subsequantur: postremo fœminæ; aperto illi, hæ velato capite accensas faculas manibus præferentes.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Caput I.

HOrtentur Curatores animarum, in sacris concionibus, & quotiescumque opportunum eius rei tempus videbitur, Fidelem populum ad sacræ Confessionis frequentiam, illud Salomonis crebrò inculcantes: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, vel reliquerit ea, misericordiam consequetur: doceantq., non satis esse, culpas apud Deum tacita con-

fessione deponere, nisi sacramentali etiam eædem Sacerdoti aperiantur. Moneant igitur, hanc confitendi legem à Christo conditam, per Apostolos ad nos vsque deductam, & ab vniuersali Ecclesia inuiolabiliter obseruatam, ab omnibus Christi Fidelibus retinendam esse; detrectantesq; & parere recusantes, cum ab alijs multis, tum postremò à sacro Tridentino Concilio damnari; & Fidelium communione priuari.

Caput II.

QVia verò curam gerere animarum maximũ onus est, & grauissimum, quod in audiendis Confessionibus potissimùm occupatur, idcirco existimet Parochus, nullam esse diligẽtiam, doctrinam, prudentiam tantam, quæ tanto muneri dignè tractando sit satis. Sacerdotem igitur Confessarium, integritate, scientia, taciturnitate præstare oportet; maximè vero ab omni turpis lucri cupiditate in Confessionibus alienissimum esse; etenim si quæstum spectet, ad peccandum alliciat, curiosè exploret, pertinaciùs blandiatur, conscientias peccatorum laqueis inuolutas nesciat expedire; si deniq; ebrius, iracundus, leuis, & loquax sit, hic dispergendis potiùs, & mactandis, quàm pascendis, seruandisque ouibus videbitur fuisse præpositus.

Cap.

Cap. III.

ACcipiunt quidem Sacerdotes, dum eo ordine initiantur, potestatem à peccatis omnibus absoluendi; quia tamen pertinet ad rationẽ iudicij, vt sententia feratur in subditos, illudque verissimum est, à Sacerdote frustra eos absolui, in quos ordinariam delegatamuè iurisdictionem non habet; ob eam rem, ex sanctę Synodi sanctionibus, nemo secularis, regularisuè audiendas Sacerdos ad Confessiones accedere debeat, nisi aut beneficium parochiale obtineat, aut ab Episcopo rem scripto testificante, sit tanquàm ad hoc munus idoneus approbatus.

Cap. IIII.

CVm intelligerent sacrosanctæ Tridẽtinæ Synodi Patres, è re, atq; è disciplina Christiana esse, vt grauiorum quorundam, atrociorumq; criminum absolutio, nõ ab omnibus passim, sed à summis solùm Sacerdotibus traderetur, sapientissimè decreuerunt, vt Episcopi omnes, in sua quiq; diœcesi, grauiorum huiusmodi culparum reos sibi ipsis absoluendos relinquerent. Ne igitur Confessarij temerè in alienam mortem per ignorantiam irruant, neuè eos, quos minime possunt, absoluant, illud omnino volumus, & mandamus, vt non modò Curatores animarum, sed alij etiam omnes ad audien-

diendas Confeſsiones admiſsi, Bullam in Cœna Domini legi ſolitam, caſuſq; ab Epiſcopo ſibiipſi præcipuè reſeruatos, deſcriptos penes ſe habeant, nullũq; ab ijs vllo modo abſoluant. Ab hoc tamen numero excipiuntur Pœnitentiarij, quos Epiſcopus ipſe delegerit, modò reſideant in Eccleſia, cui quiſque addictus fuerit; itemq; illi, qui ab eodem Epiſcopo facultatem ſcripto exaratam acceperint. Horum autem, aliorumq; Summo Pontifici reſeruatorum reos, nullius planè priuilegij, aut indulti ante Concilium conceſsi, Regulares abſoluere ſe poſſe ſciant, eoſq;, qui contra fecerint, in excommunicationem latæ ſententiæ incidiſſe. Hæc verò conditio ſemper in ijs facultatibus exprimatur, quæ ſcriptæ dantur: ſi quis autem, imminente mortis periculo, reſeruatæ alicuius culpæ ab eo, cui ordinaria poteſtas non ſit, abſolutionem acceperit, à Concionatoribus, & arochis moneatur ſæpiſsimè populus, huic, ſi conualuerit, confeſſionem Sacerdoti, qui poteſtatem habet, repetendam eſſe.

Caput V.

NE quis ſuſpicioni locus in Eccleſia relinquatur, ſuſpenſionis, ipſo facto ſubeundæ, pœnã proponimus ijs, qui mulierum Confeſsiones, præterquam in Eccleſia, niſi ſecus fieri neceſsitas cogat, certo, patentiq; loco poſt ortum, atq; ante

occasum solis excipere audeant. Ad id autem commodiùs, atq; honestiùs peragendum, suspensionis incurrendæ pœna proposita, ne in ipsis quidem Ecclesijs huiusmodi Confessiones audiri volumus, nisi ex confessionali ad hunc vsum aptè confecto, cuius intermedia fenestrella, crate, & tela ita munita sit, vt audiri, non videri mulier possit. Huiusmodi verò Cófessionalia in singulis curatis Ecclesijs, pro populi numero, & Ecclesię cuiusq; amplitudine, plura sint. Quód si qua minus bene cōpacta exstructa fuerint; ea vel ex Ecclesijs efferantur, vel ad eorum similitudinem, quæ sunt in nostra Metropolitana, formētur.

Caput VI.

VIdeant Parochi, ne quēquá, qui ex aliena parochia sit, nec intra annum quidem, ad Cófessionem admittăt, nisi Parochus, cuius ille curæ subiectus est, potestatem faciat; id autem cum semper, tum Paschæ tempore caueri potissimùm volumus. Illud quoque meminerint Cófessarij, si quemquam Iubilei alicuius virtute absoluant, neque sibi ius esse a criminibus, quæ rescripto comprehensa sūt, absoluendi, neque cum irregulari dispensare vllo modo licere, nisi huiusmodi facultas nominatim expressa sit. Neq; verò ignorare eos oportet, si quos Iubilei, aut priuilegiorum quorumuis vigore in conscientiæ foro absoluerint, eos in exteriori foro absolutos non esse. Pœ-

se. Pœnitentes igitur hoc ipsum moneant, ne hac re tanquam ansa quadam vtantur, ad Parochorum suorum, vel iudicium, vel salutare remedium fugiendū.

Caput VII.

SVspensionis pœnam indicimus Confessarijs omnibus, qui sine superpelliceo, stola, clericalique bireto Confesiones audire præsumpserint: pilei vsum, quamdiu sunt in confessionali, ijs omnino adimimus. Cauere autem diligenter iubemus, ne, si pœnitentes interdum pecunia mulctare oporteat, eā vsibus illi suis addicant; quin potiùs in pium aliquod opus ita erogandam curent, vt illius distributione ipsi prorsus abstineant: si quid verò eleemosynæ nomine pœnitenti sit ad Missæ sacrificium conferendum, id sibi præcipuè dari ne curent, ne rudiores forte suspicentur, Dei donum pecunia æstimari. Eleemosynam, etiam vltrò oblatam, Sacramēta, maximè verò Pœnitentiam ministrantes Sacerdotes ne accipiant: Quod si paupertate laborent, inopiæ suæ auxilium petant & expectent a Domino, qui dat omnibus affluenter.

Caput VIII.

SEmper præsto esse decet Confessarios, vel medicos animarum opem suam poscentibus; sed tum potissimùm, cum dies quadragesimales agūtur,

 huic

huic muneri oportet ita esse intentos,vt toto eo tempore numquam ab Ecclesia absint,nisi quantum aut corporis sustentandi ratio,aut grauis aliqua necessitas postulet,ne, deficiētibus medicis, periclitentur ægroti:id ipsum ijs quoque diebus præstēt, quibus Domini nostri aduentus memoria celebratur & colitur; ijs deniq; omnibus,quibus Fideles Cōfessionis sacramentum obire frequenter solent.

Caput IX.

CONfessarij,ad excipiendas ægrotantium Confessiones vocati,sine vlla mora adcurrant: si quem verò ex suis morbo laborare cognouerint,etiamsi vocati non sint, ad eum statim se conferant;vtque animę per sacramentum Pœnitentiæ medeatur,hortentur:quod si mortis imminere periculū viderint,cum dè reliquis sacramentis sumendis commoneant,tum,vt se,si ita Deo visū fuerit,ad moriendum comparet,& ipsi hortentur,&,vt idem faciant, parentibus,& consanguineis persuadeant, illorum animos ea præcipuè insania liberantes,qua sæpe fit,vt, dum curando corpori studiosiùs sunt intenti, ægrotumq; impendentis iam mortis cogitatione terrere nolunt,de salute animæ minùs solliciti videantur. Illud autem honestatis erit,vt,qui mulierum lectō decūbentium Cōfessiones excipiunt. cubiculi fores esse patentes velint.

Caput

Caput X.

QVod grauissima Pij V. Summi Põtificis Constitutione de Medicis sancitum est, id semel quotannis promulgetur: Medici vero ipsi ad præscriptum Constitutionis ab Innocentio. III. editæ, cum primùm ad ægrotos accesserint, eos de animæ maculis per sacramentum Confessionis eluendis admoneant, neque tertiò redeant, nisi eos sacra Confessione expiatos esse cognouerint; si secus fecerint, sciant se pœnis a sacris Canonibus, & ab eadem Pij V. Constitutione decretis esse obnoxios: quod nos etiam publico decreto statuimus.

Cap. X I.

SIngulis huius nostræ Prouinciæ Curatoribus animarum mandamus, vt, quos curæ suæ subditos Confessionis, Communionisq; Sacramentum statuto ab Ecclesia tempore minime sumpsisse compererint, eorum omnium nomina in libro schedularum describant; primo deinde Dominico die, qui in Albis dicitur, eos omnes, siue mares, siue fœminę sint, intra Missarum solemnia, generali monitione, cui vim, & robur trinę monitionis inesse volumus, nominatim moneant, vt intra illius hebdomadæ spatium, Ecclesiæ præceptum omnino impleant; alioquin fore, vt ij non modò habeãtur pro interdictis, sed eorũ

quoque nomina, Cathedralis, & Parochialis Ecclesię foribus affigantur, singulisque Dominicis, & cæteris festis diebus, dum Missæ sacrificiū celebratur, in omnibus Ciuitatis, & Diœcesis Ecclesijs euulgentur: neque, vt diuinis intersint officijs, permittatur, anathematis pœna eo ipso proposita admittentibus, vt est decretis sacrorum Canonum constitutum. Interim verò, si quem eorum mori contigerit, ex Innocentij III. Constitutione, Ecclesiastica careat sepultura: Præfinitis autem diebus elapsis, contumacium nomina in schedulam fideliter relata, testimoniumque monitionis sua manu subscriptum Parochus ad Episcopū, eiusue Generalem Vicarium mittat. Atq; sic statim omnes in Ecclesijs titulum aliquem obtinentes eo præcepto deuinciat, vt eorum nomina Ciuitatis, & Diœcesis Ecclesiarum valuis & affigi curent, & Dominicis festisq; diebus, dum sacra mysteria peraguntur, donec illi resipiscant, frequenti Fidelium multitudine publicari: obstinatè vero perseuerantibus pœna maior, atq; ipsa adeo excommunicatio ad Episcopi arbitrium infligatur, quam si per annum sustinere non erubuerint, cum eis, veluti cum suspectis nomine hæresis, ex Concilij Tridentini præscripto agi posit.

De

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Caput I.

SAcramentum Extremæ vnctionis, vt eſt à Chriſto Domino inſtitutum, ita perpetua Eccleſiæ conſuetudine, vſq; ſemper receptum, ſeruatumq; eſt. Hoc ita miniſtrari Fidelibus volumus, vt precationes, cęrimoniæq; in Rituali Romano libro deſcriptæ adhibeantur. Sacerdos ægrotum conſoletur, eumq; ab humanarum, fluxarumq; rerum cogitatione, ad cæleſtium præmioru, æternæq; beatitudinis cupiditatẽ traducat. Dæmonis, varias reru ſpecies ad terrorem proponentis, inſidias excelſo animo contemnere, & de diuina bonitate, & miſericordia bene ſperare iubeat: confirmatum deniq; & ſancta benedictione munitum Deo commendet. adſtantes de humanæ naturæ imbecillitate admoneat; eoſque ad preces pro ægroto fundendas hortatus, quanta ſit ſacramenti huius vis, & poteſtas, breuiter, dilucidèq; aperiat.

Caput II.

SI quis perículoſo morbo affectus decumbat, curet ſtudioſiſsimè Parochus, vt ad miniſtrandu hoc Sacramentum in tempore adſit, ac proinde nuſqiàm ab Eccleſia longius abeat, ſi quem ex ſuo grege ſciat in extremum vitæ diſcrimen eſſe adductum;

ductum; ægrotum bis singulis diebus, matutinis, pomeridianisq; horis inuisat, seq; ad eum sacro oleo inungendum diu, noctuq; paratum esse ostendat. Ne verò sine huiusmodi præsidio decedat infirmus, Parochus, vel cum ad eum visendum primò accedit, vel cum eidem sacram Eucharistiam viatici nomine præbet: id sedulò moneat, vt, dum sibi ipse constat, mentisq; est compos, inungi se postulet: simul illud adiungat, quàm magnum ad salutem momentum habeat, hoc Sacramentum, vltrò pièq; petitum, cuius vt ille desiderio inflãmetur, fructus ex eo prodeuntes per capita persequatur.

Caput III.

Contingere sæpenumero solet, vt periculosè ægrotantium domicilia longè à Parochiali Ecclesia distent. Quotiescumq; igitur Eucharystiæ sacramentum eo deferendum fuerit, dubiumque erit, ne, morbo ingrauescente, ad sacrum oleum ministrandum redire non posit in tempore, sacræ etiam Vnctionis vasculum afferatur, ægrotoq;, dum integris adhuc est sensibus, præbeatur. Quod si ea morbi vis sit, vt, vtrum efflauerit animã, dubitetur, tum Parochus, & ipse per se rem totam diligentisimè perscrutetur, &, si per temporis angustias liceat, medicum etiam in consilium adhibeat; si minùs id posit, atq; adhuc hæreat, ea conditione

vtatur:

vtatur : Si es viuus, per istam vnctionem, &c. Si verò ita laboret ægrotus, vt verisimile sit, eum ante moriturum, quàm sacraměti huius administratio absolui à Parocho possit, precationibus prætermissis, singulę corporis partes, quas ritus inungi postulat, cum stata verborũ formula liniantur; eo autě adhuc superstite, reliquę, vt moris est, precationes adhibeantur.

Caput IIII.

AT hoc sacramentum ministrandum, cum eo, quem maximum habere poterit, Sacerdotum, Clericorumq; numero Parochus semper accedat: hi omnes superpelliceis amicti, cũ ministranti adsistent, eum precantem suis etiam ipsi precibus adiuuabunt: Quod si plurium nulla sit copia, Clericus saltem vnus omnino non desit. Sacerdotes verò omnes hortamur in Domino, vt, si ad tã pium officium à Parocho, alioue Sacerdote ministrante vocati fuerint, comites se libenter adiungant; ire autem sine iusta causa abnuentium nomina, Parochus, ministerue, in Diœcesi ad Vicariũ foraneũ, in Ciuitate ad Episcopum, vel eius Generalem Vicarium deferat; quorum erit paternis cohortationibus, & monitis prouidere, vt illi tam religioso muneri in posterum satisfaciant.

Caput

Caput V.

CVm primùm ad ſacrum oleum miniſtrandum vocatus Parochus fuerit, ſi ſit interdiu, ſtatim ad Eccleſiam adeat, pulſataq; ad comites aliquos conuocandos campana, ſuperpelliceo, & violacea ſtola indutus ad ægrotum pergat: vaſculum ſacri olei non manu geſtet, ſed ſerico ſacculo violacei coloris decenter incluſum, colloque ſerica item cordula aptè appenſum deuotè ferat: iuxta cubicularem ægroti lectum, ſi fieri commodè poſſit, parari menſam, mundaq; mappa ſterni diligenter curet: ibi peluicula ſit cum bombice, ad inunctas corporis partes tergendas; mica præterea panis, & vas alterum ad manuum lotionem, abſterſionemq; digitorum parata; candela denique cerea minimùm vna accenſa præluceat. In ea mēſa, qua parte lectum propiùs ſpectat, ſacri olei vaſculum collocetur, quod nullius laici hominis manibus contrectari ſinatur. Moneat interim Parochus eos omnes, qui adſunt, domeſticoſq; præſertim, vt & ægrotum Deo ſuis precibus cum ſpiritus feruore commendent; & poſt adminiſtratum etiam ſacramētum Extremæ vnctionis, corporis curam ne deſerant.

Caput

Caput VI.

GRatia, quæ Sacramentis conferri solet, nulla re magis, quàm lethiferi alicuius peccati labe excluditur. Videat itaq; Parochus, ne, si fieri posit, quemquam ante inungat, quàm is Confessione purgatus sanctißimam Eucharistiam susceperit; aut si minùs, propter stomachi, fauciumue morbum, aliquem communicare potuerit, Sacramentum saltem Confeßionis obierit. Quod si quem tanta morbi vis repente oppresserit, vt neutrius sumendi facultas fuerit, hunc etiam inungi licebit, modò se rei huius desiderio teneri nutu aliquo, & significatione pietatis ostendat.

Caput VII.

AD ea, quæ de natura, atq; vtilitatibus Sacramenti huius explicari oportere paulò ante docuimus (quod erit coram ægroto diligentiùs faciendum) illud quoque adiungat Parochus, expedire maximè, vt ea fide vngendum se præbeat, qua se vltrò illos legimus obtulisse, qui ab Apostolis salutem corporis accepturi erant: Deinde salutem animæ esse multis partibus præferendam saluti corporis, quę ita solùm sit expetenda, si ad cælestem gloriam comparandam momenti aliquid habitura sit: Denique dubitandum non esse, quin illis saltem precibus

Deus flectatur, quas Parochus Sacerdosuè Ecclesiæ Domini ipsius personam gerens, in huiusmodi Sacramento ministrando vsurpat. Curet postremò, vt is honor huic sacro oleo habeatur, vt non ante ministretur, quàm partes, quibus adhibendum est, atq; illæ præcipuè, quę sordes faciliùs colligunt, abluatur.

Caput VIII.

MEminerit Parochus, si semel infirmus fuerit vnctus, in eodem morbo, eodemq; mortis periculo non esse iterum liniendum: quod si, post susceptam vnctionem, valetudinem recuperauerit, quoties ex eo tempore in uitæ discrimen inciderit, toties sacramenti huius præsidio muniendus erit. In diuturnis etiam quibusdam morbis, cuiusmodi esse hydropisis consueuit, si cui, qui iam iam moriturus videretur, hoc sanctum oleum adhibitum fuerit, atque is deinde euaserit, si postea ex eodem morbo rursus in periculum mortis inciderit, huic rursus etiam hanc sacram vnctionem ministrari oportebit.

Caput IX.

COntingit interdum, vt Sacramentum hoc noctu ad ægrotos deferri necesse sit: idcirco, si Parochi domicilium ab Ecclesia longiùs absit, præter vasculum sacri olei, quod in Ecclesia, decenti

centi tutoq; loco, ita præcipimus ædſeruari, vt illius clauis nulli planè credatur: domi etiam, loco item decenti ac tuto, vt alterum Parochus habeat, vna cum ſuperpelliceo, violacea ſtola, Rituali libro, aſperſorio, cæteriſque ad id neceſſarijs rebus permittimus. Parochi igitur, duo ad ſacræ huius vnctionis vaſcula comparent, eaq; ſtannea ſcitè confecta, ad eam omnino formam, quam ſuo loco & tẽpore præſcribemus: ſingula verò in ligneam capſulam corio circumueſtitam, auroq; decore diſtinctam includant. Vaſcula ſeorſim ab ijs habeantur, quibus ad Baptiſmi vſum ſacra olea includuntur.

De Sacramento Ordinis. Cap. I.

PRomouendorum ad ſacros ordines conditiones exploratas, & cognitas habere Parochus ſtudeat; operamq; det, vt quicumque ex eius parochiali vicinia initiandi ſint, & ſpiritualis vitę ſtudia colant, & Chriſtianas virtutes norint, pietatem nempe, religionem, caſtitatem, ſobrietatem, pacem, charitatem, orationem, ſacrorum myſteriorum frequentem vſum, aliaq; id genus plurima; ſciantq; ſibi cum horum omnium obſeruantiam multò arctiùs, quàm laicis eſſe propoſitam, tum nihil aliud Eccleſiaſticæ vitæ curſum, quàm perpetuam virtutum omnium exercitationem eſſe debere. Illud etiam curet, vt qui vel vltro ipſi clericalis vitæ genus ſectari

instituunt, vel infantes à parentibus huic sacro ordini destinantur, ad pios omnes Christianosque mores accuratiùs informentur; singulosque frequenter moneat, vt cui quisque Ecclesiæ ex Synodi huius decreto adscriptus fuerit, eam in primis frequentet, Clericorum functiones obseruet, & ad earum exercitationem se comparet; Ecclesiasticorũ deniq; hominũ, morumq; probitate insignium familiaritate vtatur.

Caput II.

DAbit etiam Parochus pietatis significationem minimè aut vulgarem, aut obscuram, si pueros, quos vtiles Ecclesiæ Dei ministros aliquando fore appareat, ita erudiat, vt instituto, quod profiteri volunt, ante dignos se præstent, quàm illud suscipiant; atq; ideo musicæ modulationis, qui cantus planus seu firmus dicitur, peritiam habeant, & in functionibus ad ordinem, quem sumpturi sunt, pertinentibus, non mediocriter exercitati sint. Eiusdem quoque Parochi erit curare, vt ante diem ordinationi habendæ præscriptum, decenti clericali habitu, & tonsura, ad eam formam, quam cuiusque ordinis ratio postulat, ante Episcopum omnes se sistant. Qui verò nondum tonsuram acceperint, satis fuerit, si cum clericali habitu, iuxta facultatem antea factam, accesserint.

AT verò, qui vel prima tonſura vel minoribus, maioribuſue ordinibus initiari voluerint, quindecim ante ordinationem diebus Epiſcopum ſinguli adeant, atque hæc, quæ paulò infra ſubijciemus, deſcripta, legitimèq; teſtata literis afferant. Quibus ea defuerint, ij planè ſciant, ſe ad nullos omninò ordines admiſſum iri. Primò igitur quiſquè probet; ſe ex legitimis nuptijs procreatum eſſe, vel ſaltem diſpenſationem de impedimento natalium accepiſſe: Deinde, ius Diœceſis ſibi competere, ratione, vel originis, vel Eccleſiaſtici beneficij, quod in Diœceſi obtineat; vel domicilij decennalis, vel alia demum quauis legitima cauſa; à Parocho etiam, vt dictum eſt, vel à Ludimagiſtro, vt Tridentina Synodus iubet, vel ab eo, quo inſtitutore in qualibet diſciplina & ſcientia vtitur, vel, ſi ſcholę Cathedralis Eccleſiæ ſit adſcriptus, ab illius Rectore, vel à quibuſuis alijs Epiſcopus iuſſerit, literas teſtimoniales exhibeat, quibus uitæ ſuperioris ratio commendetur, & mores. Illud quoque luculento ſcripto teſtatum afferat à ſcholarum Chriſtianæ doctrinæ Pręfecto, uel Generali, uel eo, qui ſuæ parochiali uiciniæ præpoſitus fuerit; ſe in ijs aſsiduè frequentandis diligentem ſemper fuiſſe. Ne harum quidem rerum teſtificationes deſiderari ſinat, qui uult primam tonſuram ſuſcipere, ſe nempe Confirmationis Sacramentum

mentum sumpsisse; Ecclesiam crebriùs, & religiosiùs frequentasse; per anni spatiũ sæpius etiã cõmunicasse; sperariq;, fore, vt in clericalis instituti consilio perseueret. Quæ testata esse oportebit ipsius Parochi literis.

Cap. IIII.

QVibusuis sacris ordinibus initiari volentium nomina, in Parochiali Ecclesia Parochus, Episcopo mandante, euulget; deq; singulorum natalibus, ætate, vita, & moribus diligenter inquirat; literasque de harum rerum testificationibus scriptas, octo minimùm dies ante ordinationem habendam, ad Episcopum mittat.

Caput V.

VT autem sciat populus, quibus maximè impedimentis à sacrorum ordinum limine, atque ingressu quis arceatur, ea interdum vulgari lingua, si opus sit, Parochus declaret, & explicet. Impedimentis verò Canonicis irretiti sunt minores ætate, quàm cuiq; ordini Canones præscripsere, criminosi, hæresis nomine suspecti, ebriosi, impudici, vsurarij, scurræ, mimi, hystriones, infames quoquo modo, & vitijs dediti, ratiocinijs obligati, insigniter deformes, & corpore vitiati, illegitimè nati, bigami quocumq; genere bigamiæ; irregulares

gulares, vt qui in bello, vel alibi cædem hominum ediderunt, qui tulere sententiam capitis, aut capitalis criminis acta, & sententiam, testificationesq; edixerunt, aut conscripserunt; qui causas criminales egerunt; suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non confirmati; ante tempus, siue per saltum promoti; beneficium, aut tantum patrimonij non habentes, quantum, si sacros ordines susceperint, ad honestè viuendum sit satis.

Caput VI.

MInorem, maioremuè aliquem ordinem suscepturus, de eo, quo proximè initiatus fuerit, testimonium afferat; à Parocho etiam Sacristauè illius Ecclesiæ, si fuerit in Cathedrali, de functionibus superioris ordinis, quas rite obierit; quod testimonium nisi Regulares cuiusuis ordinis à suis superioribus exhibuerint, nullo modo promoueantur. A Parocho item, Vicarioq; foraneo, de assiduo, post proximè susceptum ordinem, clericalis habitus usu, ex sacrorum Canonum, & Conciliorum præscripto; à Sacerdote ad Clericorum Confessiones audiendas probato, de Confessione sæpius frequentata; ab eodem deniq; Parocho, Pręfectouè Ecclesiæ, cui inseruit, alioué Sacerdote, qui in ea iussu Episcopi ministrauerit, de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento crebriùs sumpto.

Caput

AD Subdiaconatum,aliumuè ſacrum ordinem promouendus hæc potiſsimùm teſtimonijs probata exhibeat: Denunciationes in Parochiali Eccleſia publicè die feſto inter Miſſarũ ſolẽnia habitas:ætatem ordini,quem ſumpturus eſt à Concilio Tridentino præſcriptam;redditus,vel Eccleſiaſticos, vel laicales, quos & ſine vlla controuerſia poſsideri, & eos eſſe manifeſtum ſit, quos pro ratione loci, & ad eum commodè alendum ſufficere, Epiſcopus iudicauerit: Denunciationes item de redditibus ipſis, & cenſu, quas eodem planè modo, quo alias, fieri volumus & mandamus. Verùm,vt, qui Subdiaconi,Diaconi,Sacerdoteſuè creandi ſunt, vitæ genus, quod ſectari volunt, meliùs norint, tantamque rem purioribus animis aggrediantur, ſinguli,ante ſtatam ordinationis diem, in religioſum aliquem locum ſecedant; ibiq; ab omni humanarum rerum cogitatione ſoluti, & vacui in ea ſola cura uerſentur, vt poſt abſterſas generali Confeſsione conſcientiæ maculas, ſalutaribus meditationibus, pijsque exercitationibus totos ſe tradant, ducem ſequentes eum,qui & huiuſmodi rerum peritus, & ad alios inſtitüendos idoneus Epiſcopo viſus fuerit. In hac autem ſpiritualis uitæ diſciplina,uel menſem,uel plures etiam, paucioreſuè dies verſentur, prout Epiſcopi,ex ipſius moderatoris conſilio, iudicium fuerit.

Caput VIII.

PRomouendi verò, cæteriq; omnes cuiusuis ordinis Clerici, in conspectum Episcopi venire non audeant, preterquam cum inferiori superiori q; decenti veste, vtraque talari, clericali bireto, minime sordido, caligis honesti coloris, & haudquaquam turgentibus, corona in summo vertice, pro suiquiq; ordinis ratione. Quod si ante Episcopum, eiusue Generalem Vicarium aliter, quàm hac sanctione decernitur, se sistere non dubitauerint initiandi, statim ab ordinibus suscipiendis per annum intelligantur esse suspensi.

Caput IX.

QVicunque ex ordinandis aut Vrbem incolunt, aut ab ea non ampliùs quatuor millibus passuum absunt, feria quarta; qui verò in diœcesi longiùs habitant, feria sexta, statam ordinationis diem præcedente, ante Episcopum omnes conueniant; vt, post habitum examen, de eorum vita, moribus, & functionibus scrutinium fiat, cui qui non adfuerit, licet per examen fuerit idoneus iudicatus, ab ordinandorum tamen numero excludatur, quemadmodum Nanetensis Concilij decreto sancitum est; ad ordinationem autem nullus, nisi confessus, & ad sacram communionem de Episcopi manu sumendam paratus accedat.

Caput X.

QVO die ordinatio peragenda erit, ſinguli bene mane magiſtrum cæremoniarum Cathedralis Eccleſiæ adeant, qui ſuum cuique locum attribuens, diligenter caueat, ne quemquam admittat, cui veſtes ordini, quem ſumpturus eſt, congruentes, eaſque decentes, & mundas deeſſe videat; ſi cui verò deſuerint, eum, nullis neq; precibus delinitus, neque excuſatione commotus, reijciat.

Caput XI.

IN ordines ſuſcipientium numerum, haud ſe quiſquam intrudat, niſi quem Cancellarius Epiſcopalis nominatim & publicè appellauerit. Qui ſecus fecerit, in excommunicationem latæ ſententiæ ſe nouerit incidiſſe; &, cum ſeipſum, tum eum, qui huic fraudi vel conſenſerit, vel tacendo minùs obſtiterit, ab ordinum functionibus eſſe ſuſpenſum: quod idem de ijs etiam intelligi volumus, qui, quòd in examine non ſatisfecerint, approbati non fuerint. Qua in re illud examinatoribus in memoriã reuocamus, ne in quoquam indigno, rudiuè approbando locum eſſe vllum amicitiæ, conſanguinitati, precibus, alijſuè huiuſmodi cauſis patiantur, aut velint, ſcientes, pœnam excommunicationis, ipſo facto ſubeundæ, ſibi eſſe propoſitam; cui illos quoque examinatores ſubijci-

bijcimus, qui eius examini interfuerint, à quo per ſex ipſos ante diem examinis menſes, eo nomine, munus vllum, quamuis paruum acceperint. Hi igitur, cum primùm ad examē prodire viderint eum, à quo doni aliquid tulerint, ad omnem ſimoniacæ labis ſuſpicionem vitandam, indignoſque, & rudes in Eccleſiam Dei ad ſacrum miniſterium non admittendos (quod Nanetenſi, & Calcedonenſi Concilio decretum eſt) ità ſtatim abſcedant, vt nè tacentes quidem, & minimè interrogantes adeſſe velint.

Caput XII.

QVI Sacerdotes creati fuerint, in Eccleſijs Epiſcopo ipſi ſubiectis primam miſſam ante celebrare non audeant, quàm à Magiſtro Cæremoniarū Cathedralis Eccleſiæ, vel ab eo, quem Epiſcopus huic rei præfecerit, diligenter examinati, atque approbati, celebrandi facultatem ſcripto acceperint. Quibus verò id muneris commiſſum fuerit, ſciant, ſe pœnę Epiſcopi arbitrio imponendæ fore obnoxios, ſi cuiquam celebrandi fecerint poteſtatem, qui Romanum rei ſacræ peragendæ ritum non ita teneat, vt eundem, ſi opus ſit, docere alios poſsit.

Caput XIII.

EX numero examinatorum, quos Synodus ipſa creauerit, deligat Epiſcopus vnum, eumq; huic negotio ità præficiat, vt ſine eo nullum,

vel ad Ordines, vel ad Confeſsiones, curamue anima rum admitti ſe poſtulantium examen haberi liceat; eo excepto, quo, per concurſum, Parochialium Eccleſiarum cura magis idoneis committenda eſt, cui præſidere Epiſcopum, eiuſuè Vicarium Generalem oportet. Huius verò examinatoris erit, non approbatorum minùs, quàm reiectorum nomina, cauſaſque, cur reiecti fuerint, annum item, menſem, & diem examinis in libro ad hunc vſum parato deſcribere, atque omnia ad Epiſcopum ſincerè referre, ſi quando is, vel eius Vicarius Generalis legitimè impeditus intereſſe non poſsit.

Caput XIV.

SI, quo caſu contingat, vt Epiſcopus legitimè impeditus ſtato tempore ordinationem habere nequeat, grauiſque aliqua & neceſſaria cauſa poſtulet, quemquam ex ſua diœceſi ad ſacros ordines promoueri, ideoquè teſtimoniales, & dimiſſorias literas ei dari neceſſe ſit, vt à viciniori Epiſcopo ordinetur, quæ ſupra præſcripta ſunt, ea haud ſecus ſeruentur, ac ſi à proprio Epiſcopo promouendus eſſet; nec, niſi examinatus, & probatus, aliò dimittatur: poſtquam verò, ſuſcepto ordine, reuerſus fuerit, eius functiones obire ante non audeat, quàm ad Epiſcopum literas, teſtificationes eiuſdem ſuſcepti ordinis complectentes, detulerit, functioneſque præſtandi fa-

cultatem

cultatem habuerit; quas literas, priusquàm mensis labatur, Cancellario Episcopali exhibeat, vt earum exemplum, vna cum eiusdem, & Episcopi promotoris nomine, in ordinatorum codice referat. Quisquis huic decreto parere neglexerit, præterquam quod duobus aureis nummis mulctabitur, pœna etiam suspensionis ad annum plectetur.

De Sacramento Matrimonij *Cap. I.*

MAtrimonium, quo Ecclesiæ cum Christo nexus, & coniunctio significatur, septimo, postremoque loco inter nouæ legis sacramenta patres, vno omnes ore, posuerunt. Eius tria præcipuè commoda sunt, susceptio, & educatio sobolis ad diuinum cultum; fides inter coniuges; Christi cum Ecclesia indissolubilis planè coniunctio: quę causa est, vt, etiam si propter fornicationem separari coniugalem torum fas sit, alterius tamen matrimonij vinculis interim adstringi non liceat.

Caput II.

NE assensu coniugum, per vim metumuè expresso, in Sacramentum Matrimonij perturbatio inducatur, eos omnes huius nostræ Prouincię Parochos ipso facto suspensos intelligi, quatuorq; præterea nummis aureis in piorum locorum

vsum

vſum vertẽdis mulctari volumus, qui matrimonium contrahendum populo ante denunciauerint, quàm ex viro prius, quàm ex muliere ſeorſim quæſierint, vtrum id fieri ſibi placeat, atque ad eam rem ſponte per ſe ipſi, ac liberè veniant: quod tamen ita accipien dum ſtatuimus, vt ex huiuſmodi voluntate, de futuro contracta ſponſalia dici non poſsint; ſed eò ſolùm conſenſus hic referatur, vt denunciationes in Eccleſia tres habeantur. Quod ſi non in eadem Parochiali vicinia degant, idipſum ab vtroq; Parocho, cuius curę ſubiecti ſunt, omnino præſtari iubemus; neq; ab altero matrimonium ante vulgari, quàm ex altero cognitum conſenſum eius habuerit, qui è ſuo grege non ſit. Dum verò mulieris conſenſus exquiritur, ſiue in paternis ædibus, ſiue in domicilio parochiali, ſiue in ipſa Eccleſia ſint, illud præ oculis habeatur, vt decenti apertoq; loco ſemper id fiat, plureſque adſint, qui mulierem, & Parochum colloquentes videre, non tamen audire queant; ac proinde nõ ita prope accedant, vt ſuſpicari Parochus poſſit, mulierem præ pudore, aliamuè ob cauſam minùs liberè animi ſui ſenſum pateſacturam. Verùm ſi, in illius explorando conſenſu, Parochus inuitam ad id trahi animaduerterit, in tota re ſuperſedeat; atq; aliquam rationem prudenter excogitet, ne de ea parentes propter indignationem grauiùs aliquid ſtatuant: Deniq; rem ad Epiſcopum, ſiue eius Generalem Vicarium deferat; atque hi cum mulieris libertati pro-

ſpiciant

ſpiciant, tum eandem ab omni periculo tutam, & incolumen præſtent.

Caput. III.

MOneat vtrumq; ſeorſim, oportere diligengenter cauere, ne quid legitimè impedimēti ſit ad Matrimonium inter ſe contrahendum: hortetur præterea grauiter, & ſeuerè, vt denunciationes prius haberi non ſinant, quàm talem tantamque rem Deo totam permiſerint, piorumq; hominum precibus, & ſanctis ſacrificijs commendauerint. Poſtremò, ad matrimonium ieiunijs, & ſpiritualibus exercitationibus ineundum, inflammet & excitet, vt aduerſus libidinum actus, petulantiam ſenſuum, & lenocinia voluptatum, his telis inſtructi, ſalutares fructus & gratiam vberiorem ex Matrimonij ſacramento percipiant. Denunciationes verò poſt Euangelium recitatum, concionemque abſolutam, iuxta formulam, quæ paulò infra ſubijcitur, à Parocho habeantur.

Caput. IIII.

CAuere etiam oportet Parochum, ne, dum voluntatem ad matrimonium denunciandum explorat, eius ineundi, ſponſaliumuè conſenſum exquirat. Quod ſi cum filijs familias agendum

hoc

hoc fuerit, neq; Parochum parentes eo nomine compellauerint, quærendum ex ijs erit, vtrum conſcijs, & permittentibus, an inſcijs & inuitis parentibus iungi matrimonio velint. Ac ſi contra eorum voluntatem id fieri appareat, interrogentur de cauſa, eaque cognita, paternè & grauiter moneantur, ne parentum, in quorum poteſtate ſunt, ita aut negligere, aut parui facere authoritatem velint, vt eos de re tanta ſibi eſſe celandos putent; niſi forte conſtet, ſponſalia de futuro inter eos verè eſſe contracta, malignèque futurum matrimonium à parentibus impediri; ante cuius celebrationem Epiſcopus, vel eius Vicarius Generalis certior erit de tota re faciendus.

Caput V.

IN denunciationibus autem, exprimat Parochus nomen, cognomen, patrem, & parochialem Eccleſiam matrimonio copulari volentium: patre verò defuncto, dicat; filius quondam N. Poſt ſingulas denunciationes, ſtatim, quo quæquè die ſit habita, ſcribat: ac ſi interim certum aliquod impedimentum ſe prodat, à matrimonij celebratione abſtineat. Quod ſi impedimentum anceps ſit, & ambiguum, rem integram ad Epiſcopum deferat, ſine cuius, eiuſuè Vicarij Generalis mandato nihil agi prætereà liceat: nullo autem impedimento ſe oſtendente, ſi qua tamen adhuc ſuſpicio ſubſit, videat ac-

cura-

curatiſsimè Parochus, ſedulòq; ipſe inquirat, vtrum impedimentum eiuſmodi ſit, vt eo matrimonium excludatur. Verùm,ad hanc totam rem cautiùs pertractandam, illud obſeruet, vt virum, & mulierem matrimonio vinciendos,eorumque parentes ſeorſim interroget, moneatque, vt, ſi quid huic rei obſtare nouerint; id liberè profiteantur, niſi ſit illud, quod ex non permiſſa copula oriatur;id enim Epiſcopo ſolùm, aut eius Vicario declarandum erit. At verò, ſi vel ex ſermone eorum, qui contracturi ſunt, vel aliunde, probabilis ſit impedimenti alicuius ſuſpicio, rem ſuſpendat, eamq; cum Epiſcopo, vel eius Vicario Generali communicet; præcipuè verò ſi impedimentum aut fama vulgaret, aut vnius etiam teſtis dictum probaret: Si nihil omnino obſtare deprehenſum fuerit, matrimonium denunciare, & celebrare Parochus pergat, nec ſine neceſſaria cauſa differat.

Caput VI.

SAepenumero fit, vt, poſt matrimonium ex more denunciatum, illius tamen celebratio differatur; ob eam rem, ſi dilatio hæc ſpatium bimeſtre exceſſerit, matrimonium haud aliter celebrari volumus, quàm ſi denunciationes iterum à Parocho fiant; niſi aliud videri ſibi, Epiſcopus, vel eius Vicarius Generalis ſcripto teſtatum fecerit. Quod ſi dirimenda quandoque ſint de futuro contracta

ſponſalia, id fieri ita iubemus, vt declaratio ordinarij Iudicis intercedat.

Caput VII.

QVO die poſtremam denunciationem haberi contigerit, eo Parochus à matrimonio celebrando abſtineat, niſi aut poteſtatem Epiſcopo faciente, aut ijs ſtatim diebus inſequētibus, quibus Quadrageſimę, atq; Aduentus initium fieri conſueuit. Perſuadere autem coniugibus ſtudeat, ne matrimonium, ante biduum, triduumuè elapſum, conſumment; ſeq; interim ad eam rem aſsiduis precibus comparantes, Miſſam pro matrimonio faciendam, vt in Miſſali Romano præſcribitur, piè celebrandam curent: ad quod, exemplis etiam ex hiſtoria ſacra petitis, quantum in ſe eſt, acriter ininflammare conetur.

Caput VIII.

ILlud quoque coniungibus in memoriam reuocandum eſt, ne ante celebrationem matrimonij, ſuſceptamque in Ecclesia benedictionem, quæ ſtatim celebrato matrimonio danda erit, aut ſimul habitent, aut inter ſe commercium habeant, coeantuè. Ad eorum igitur procacitatem, & incontinentiam reprimendam, qui, priuſquàm ex Concilij Tridentini

dentini decreto matrimonium celebretur, rem ſimul habere non erubeſcunt, culpæ huius abſolutionem ſtatuimus ad ſolos Epiſcopos pertinere; à quibus ita concedi volumus, vt, ſi publicum crimen ſit, publica item, eaq; grauis pœnitentia iniungatur.

Caput IX.

AD matrimonium celebrandum, benedictionemq; accipiendam, haud aliter, quàm diligenti peccatorum confeſsione expiati, & ſacra communione refecti accedant: ueſtitu item modeſto, Chriſtianæque religionis ſimplicitati maxime congruenti; ut, quantò quiſque nobilitate generis antecellit, tantò maior ipſius uirtus in abijciendis ſecularibus pompis eluceat.

Caput X.

QVibus ſponſos ad Eccleſiam deducendi cura mandatur, ij & conſanguinei plerumq; ſint, & non ætate modò, ſed moribus etiam grauitatem, & modeſtiam præſeferant. Sponſa non niſi uelato capite eò accedat; neq; eius matrimonium celebret Parochus, quæ velo tecta ad Eccleſiam non adierit; ita enim & Apoſtolus præcipit, & Rebecca docuit, quæ, ſimul ac ſponſum aſpexit, pallio caput obnupſit. Matutinis, vt decretum eſt, non pomeri-

dianis, aut nocturnis horis matrimonium fiat; neque id inter eos, qui doctrinæ Christianæ elementa ignorent, nisi ex præscripto formulæ Episcopi decreto expressę. Præter ipsius Parochi, duorum minimùm, triumuè testium præsentiam, vt Concilio Tridentino statuitur, necessariam esse meminerint. Matrimonium celebratum, vnà cum testibus, atq; alijs, quæ Tridentina Synodus voluit, Parochi in Codicem referant; alioqui pœnæ nomine scutatos duos, in vsum piorum locorum, soluant.

Caput XI.

SI quando Parochus, Episcopi permissu, vel à Parochiali Ecclesia absit, vel ita morbo, aliauè legitima causa impediatur, vt matrimonium ipse per se ministrare nequeat, Sacerdotem, quem Episcopus ad Sacramenta ministranda admiserit, scripta facultate, substituat, eamq; suo Chirographo in librum matrimoniorum referat; vt delegata Sacerdotis potestas nunquam reuocari in dubium posit.

Caput XII.

PArochi, extra sacrificium Missæ, non nisi superpelliceo, stolaque induti, quemadmodum Tridentini Concilij sanctione præcipitur, sponsos coniungant; ad eamque rem, vt pleniùs in Cathe-

Cathechiſmo Romano traditur, pium aliquem ſermonem adiungant; vt & cauſam inſtituendi ſacramenti huius intelligant, & pietatem, quæ in eo contrahendo requiritur, afferre omnes pro viribus ſtudeant. Quo verò crebriùs in huiuſmodi argumento ſibi eſſe verſandum Parochi vident, eò diligentiùs ex ſacris libris, alijſq; Eccleſiaſticis monumentis rationes colligant.

Cap. XIII.

QVuod Tridentino in primis Concilio, alijſq; ſacris canonibus cautum antea fuit, id nos in hac noſtra Synodo, & ſancimus, &, pœnis etiam grauioribus arbitrio Epiſcopi propoſitis, ab omnibus obſeruari mandamus; ne videlicet Parochus vllus ſibi hoc ſumat, vt quemquàm ex aliena diœceſi, quantumuis longinqua, aduenam, erronemuè ad matrimonij ſacramentum recipiat, qui ab Ordinario ſuo non afferat literas, quibus, & denunciationes habitas eſſe, & nullum intercedere impedimentum, quo minùs contrahi matrimonium poſsit, teſtatum fiat. Hæ verò literę, antequam ſponſalia celebrentur, exhibeantur Epiſcopo. Quod idem ad præſcriptum decreti in hanc ipſam rem editi ſeruetur, etiam in eius matrimonio faciendo, qui & ex vicina Diœceſi ſit, & Parocho ipſi, aut quibuſuis alijs notus. Immo, præter ſupradicta, erronum matrimonijs Parochi non aliter interſint, quàm diligentem

tem priùs inquiſitionē fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

Caput XIV.

MVlieres quoquo modo de prioris viri obitu ambigentes, tamdiu ſecundis nuptijs ſe abſtineant, donec, eum verè mortuum eſſe, Epiſcopo, vel eius Vicario Generali certo teſtimonio notum fiat. Ante verò, quàm pro certo ab Epiſcopo habeatur, Parochi illas nouo matrimonio copulare non audeant: Qui non paruerint, præter pœnam ſcutatorum decem, aliamuè ad Epiſcopi ipſius arbitrium, ſuſpenſione etiam puniantur.

Caput XV.

SI, quo die matrimonio denunciando finis imponitur, eo, Epiſcopo annuente, illud celebrare oporteat, moneat in ſecunda denunciatione populum Parochus, quoniam eo deducta res ſit, vt, poſt poſtremam denunciationem, contrahi matrimonium nequeat, vel propter incurſum eorum temporum, quibus id fieri ab Eccleſia prohibetur, vel propter aliam quamuis legitimam cauſam; ideo fore, vt, Epiſcopo permittente, ſimul atq; denunciandi finis fuerit factus, quod incidet in Dominicam, aliumuè diem feſtum proximè inſequentem, niſi interim

interim

terim legitimum vllum impedimentum emergat, ſacramentum matrimonij miniſtretur.

Caput XVI.

QVia verò nuptiarum benedictiones ſemper ſunt à ſanctis Patribus mirificè commēdatæ, idcirco doceat Parochus, quanti eas æſtimari deceat; caueat tamen, iuxta formam à nobis præſcriptam, ne benedictionem ſponſæ rurſus impertiat, quæ iam ſemel in nuptijs benedictionem acceperit. Videat denique diligenter, ne quoſuis ſponſos, qui non ſint ex ſua Parochiali vicinia, licet vrgere neceſsitas videatur, ſine proprij Parochi facultate vel benedicat, vel matrimonio iungat, eas ſibi pœnas propoſitas ſciens, quę in decretis Tridentinæ Synodi leguntur expreſsę.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.
Caput I.

NON Canonum modò ſanctionibus, Apoſtolique ipſius ſententia, ſed grauiſsima etiam Tridentini Concilij authoritate id oneris Epiſcopis impoſitum eſt, vt, quatenus opus eſſe videant, ſibi ſubiectorum vitia, & culpas redarguant: huius rei ritè præſtandæ cum aliæ plures iniri rationes queũt, tum illa præclara in primis, & efficax cenſenda

ſenda eſt, ſi Clerici omnes, animarumque maximè curatores ita vitam inſtituant ſuam, vt exemplo potiùs, quàm ſermone fidelem populum ad Chriſtianę diſciplinæ ſtudium trahant. Curent igitur, vt inſtitutum, quod nomine, atque habitu profitentur, ita etiam re ipſa exprimant, vt nihil, quod ad gregis ſibi crediti vtilitatem pertinere quoquo modo exiſtiment, prętermittant, in omnibus ſe ſicut Dei miniſtros exhibentes; nec quicquam, vnde vituperetur ſuum miniſterium, committentes.

Cap. II.

CAſtitatem tanto ſtudio colant, vt cuiuſuis turpitudinis crimen, eiuſque ſuſpicionem effugiant: ac proinde nullus Prouinciæ noſtræ Clericus, vllius planè mulieris, de qua poſsit haberi ſuſpicio, etiam quouis gradu conſanguinitatis, affinitatiſuè coniunctæ, præſertim ſi vidua ſit, conuictu vtatur: Extranearum familiaritatem, & conſuetudinem ſinguli omninò vitent. Ad Eccleſias, aut Monaſteria ſacrarum Virginum, ſi præterquam ab Epiſcopo, eouè, cuius id muneris Epiſcopus eſſe voluerit, poteſtate in ſcriptis ſibi facta, acceſſerint, & excommunicationis pœnam incurrant, & duobus aureis nummis, ad piorum locorum vſum, mulctentur.

Caput

Caput III.

CAueant Ecclesiastici viri cuiuscumque ordinis; ne ad nuptiales epulas inuitati, cœtibus, vbi lasciua carmina recitentur, saltationibus, comœdijs, alijsuè id genus spectaculis vllo modo audeant interesse; pœnasq; veriti, à Laodicensi primùm Concilio; summorumq; Pontificum sanctionibus, à Tridentina deinde Synodo constitutas, aliasuè etiam grauiores ad Episcopi arbitrium statuendas, comessationes; & ebrietates, veluti res perniciosissimas & à Clericali disciplina maximè abhorrentes, detestentur, & fugiant. Ijsdem verò pœnis sciant se fore obnoxios, omnes huius nostræ Prouinciæ Clerici, qui ad Tabernas meritorias, nisi in itinere sint, quouis prætextu & causa adierint.

Caput IIII.

STatuimus, ne quis ex nostra Prouincia Ecclesiasticus vir aleas, taxillosque, vnde maxima plerumq; scandala oriuntur, aut penes se habere, aut ijs ludere, aut ludentibus vtcumque assistere audeat. Id autem quisquis priuatim fecerit, per mensem functionibus ordinum; qui verò publicè, fructibus etiam beneficiorum suorum sibi nouerit interdictum; quorum dimidia pars delatori, reliquum pijs locis attribuatur. Minoris verò pilæ ludo se publicè quemquam oblectare prohibemus.

Caput V.

NIhil minùs Ecclesiasticum hominem decet, quàm Deum, cuius maximè cultui dicatus est, contumeliosis nominibus appellare: Si quem igitur sacratissimum Dei nomen, Beatissimæ Virginis, aliorumuè Sãctorum turpiter blasphemasse, legitimè constiterit, ita sanè plectatur, vt ad pœnas Pij V. Constitutione propositas pecuniaria etiam ad Episcopi arbitrium addatur. Si homicidium fecisse, aut consensu, auxilioue facientes quouis modo iuuisse comperiatur, acriter ex præscripto Canonum puniatur.

Caput VI.

QVoniam luxum, & fastum à Clericali disciplina alienissimos esse consentiens sanctorum Patrum docet authoritas, studeãt Clerici mores suos, seque ipsos totos ita componere, vt quàm proximè ad ueram Christianæ religionis formam accedant. Superbiam, & quicquid affine superbiæ est, fugiant; mansuetudinem, affabilitatem, modestiam, benignitatem sectentur; quæ ita temperent grauitate, vt cuiquam contemptui esse non possint. Iniurijs inferendis ita abstineant, vt ne verbo quidem quemquam lacessant, seu prouocent: si quem verò corripere necesse sit, id ea ingenij dexteritate, æquabilitate animi, ac moderatione faciant, vt spiritua-

lis inde fructus non dissensionis, contentionisq; materiam petere videantur.

Caput VII.

NEque nimis ornatas & comptas, neque contra nimis laceras, & sordidas decet esse Clericorum vestes; quod, cum anteà, præter sanctorum Patrum Aniceti, Cęlestini, aliorumque summorum Pontificum Cõstitutiones, Matisconensi, Exeniensi, Metensi, Lateranensi, ac Viennensi Concilio statutum fuit; tum nuper sacra Tridentina Synodo, quæ Constitutionem Clementis Quinti in Concilio Viennensi editam innouauit, & auxit, pœnis propositis confirmatum. Omnes igitur huius nostræ Prouinciæ Clerici, etiam exempti, præter debitam tonsuram, habitu quoque suo cuique ordini congruenti vtantur: qui secus fecerint, si semel moniti parere neglexerint, non modò suspensionis ab ordinum functionibus obeundis, fructuumque, atq; adeo beneficiorum ipsorum amissionis pœna teneantur, sed grauiori etiam, vel per edictum publicum ad Episcopi arbitrium imponenda. Singuli item, prę sertim ij, qui sacris ordinibus initiati sunt, inferioremque vestem talarem perpetuò gestent; neutram ex serico panno confectam, laxioremuè, aut adstrictiorem, quàm deceat, ad elegantiam, & fastus ostentationem. Interulas ad collum, manusuè, rugosas,

aut acupictas non habeant: pileum sericum omnino ne deferant. Cappillus in summo vertice tantùm, quanta est hostiæ magnitudo, Sacerdotibus tondeatur; reliquis verò inferiorum ordinum Clericis, ad eam planè formam, quàm Episcopo cuique ordini præscribere visum fuerit.

Caput VIII.

CLericis, in vestitu publico, nullum alium, præterquàm nigrum colorem concedimus, nisi forte ea dignitate sint, vt alio vti necesse habeant. Vestes non obtemperantibus adimantur: quod idem de calceamentis,& caligis intelligimus, quæ & nigra duntaxat,& minimè ad venustatem incisa esse volumus. Brachia inferiorum vestium exerta manicis, ita vt hæ pendulæ relinquantur, conspici nunquam sinant; alioquin eas pœnas luant, quas Episcopus irrogauerit. Dum iter facient, veste quidem contractiore, sed nigra, atque infra genua saltem demissa vtantur. Arma nullius omnino generis, nec quacumque de causa ferant. Si non paruerint, armis ipsis, & alia pœna etiam pecuniaria in piorum locorum vsum Episcopi arbitratu mulctentur. At verò, si qua ferendi necessaria causa sit, id ante non faciant, quàm per Episcopi facultatem scripto concessam licitum fuerit. Ea autem, nisi longiùs iter futurum sit, neque intra primum ab vrbe lapidem,

dem, neque alligata lateri, sed ab equi sella pendentia ferant.

Caput IX.

NVlli Clericorum annulos digitis gestent, quibus propter officium, aut dignitatem iure permissum non sit: gestantibus annulorum ipsorum amisio pœnæ loco proponitur. Causas, præterquam in casibus à iure permissis, nullas tueantur, aut dicant. In seculari autem, ac ne in Ecclesiastico quidem, sine eiusdem Episcopi, Vicarijue Generalis concessu, neq; fidem suam pro quoquam obligent, neque testimonium in foro laico, etiam extra causas sanguinis, ferant. Tutorum munus, nisi Episcopo, vt supra dictum est, permittente, nõ obeant neque fide iubeant: negotiatione, & locationibus suscipiendis abstineant. Si noctu, propter iustam aliquam causam, domo exeundum sit, & lumen, & vnum saltem comitem, vbi commodum sit, semper adhibeant. Si personatos deprehendi contigerit, duos ipsos menses in custodia habeantur, & pœna pecuniaria Episcopi arbitratu, ad vsum pioru locorum, mulctentur. Latrones, exules, prædones, aliosuè flagitiosos homines, quamuis consanguinei sint, nec recipiãt, nec quoquomodo gratia iuuent; si fecerint, Episcopi eos vel in carcerem tradant, vel in exilium agant, vel grauioribus pœnis, pro rei magnitudine, beneficijs etiam ademptis, afficiant.

De

De recta Cleri in Ecclesijs conuersatione
Caput I.

CLericus ad Ecclesiam proficiscens, incessu motuq; corporis modestiam, & grauitatem clericali dignitati conuenientem retineat. In Ecclesia, quę Dei domus est, nihil aut agat, aut cogitet, quod à religionis & pietatis studio sit disiūctum. Sacristiam ingressus, non deambulando, colloquendo, nugando, iurgando, aut de secularibus negotijs tractando tempus absumat; sed seipsum colligens, vel in diuinarum rerum contemplatione versetur, vel de ijs cum alijs colloquatur. Ad rem sacram faciendam nō ante accedat, quàm missam accuratè perlegerit. Superpelliceo mundo amictus, si fieri commodè posit, sacras sibi induat vestes: Clericumque cum talari habitu, & superpelliceo ministrum adhibeat. Sine clericali biretto, & superpelliceo nulli Ecclesiastico viro, dum diuina officia peraguntur, in choro adesse liceat: vbi neque chirothecis vtatur quisquam, nec flores, aut quid aliud huius generis manibus gestet. Fabulis singuli parcant; modestè se gerant; nihil dissonum, quodque auditorum animos offendere queat, dum canunt, audiri sinant; literasque non legant: quicquid deniq; faciunt, eiusmodi sit, vt eo vehementius ad Dei laudes prædicandas excitentur. Sine bona venia præfecti chori, nisi horarijs precibus absolutis, diuinisque peractis officijs,

abire

abire choro quisquam non audeat. Horariæ verò preces ad nonam vsque completam recitentur, nisi aliter Cathedralis, aut Collegiatæ alicuius Ecclesiæ veteri, eaq; iusta consuetudine receptum sit. In Ecclesia nec vocem altiùs quisquam tollat, nec negotiando, aut deambulando moretur; quod ipsis etiam secularibus, maximè dum diuina officia celebrantur, prohibitum volumus, ea pœna indicta, quàm statuere Ordinario visum fuerit.

Caput II.

QVod sacra Tridentina Synodo cautum est, vt Episcopi curent, vt Sacerdotes cuiuscumque conditionis & ordinis, etiam si nulli Ecclesiæ adscripti sint, nec ex officio celebrandi onus impositum habeant, Dominicis saltem, cæterisque festis diebus Missæ sacrificium faciant, id nos etiam atq; etiam, vt ab omnibus fiat, monemus. Si quem verò iusta de causa contingat sacram communionem de manu alterius Sacerdotis aliquando suscipere, superpelliceum, & stolam adhibeat. Reliqui inferiorum ordinum Clerici, Diaconi, Subdiaconi, quique in minoribus constituti sunt, sciant, maximè decere, vt semel saltem singulis mensibus Eucharistiæ sacramentum publicè sumant: quod à Diaconis, & Subdiaconis, dum Sacerdoti sacra mysteria peragenti assistunt, fieri etiam suademus. Parochi omnes,

animarumq; curatores, in suis quique parochialibus Ecclesijs, præter dies festos, ter saltem in hebdomada, & pro loci consuetudine, temporisque ratione crebriùs etiam celebrent. Ipsis diebus festis, & Vesperæ, vt supra statutum est, decantentur, & Christianæ fidei rudimenta tradantur.

De Residentia. Caput I.

AD animas periculis eximendas, & Ecclesiarum commodis prouidendum, neminem in posterum in nostra Metropolitana, alijsq; omnibus huius Prouinciæ Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, quotidianarum distributionum quouis prætextu participem esse volumus, qui verè ipse per se non resederit, Canonicis horis interfuerit, cæterasque functiones omnes, & munera non obierit: Si quis verò aut morbus, aut aliqua alia iusta causa, quo minus adesse posit, impediat, ad Episcopum, siue eius Vicarium, aliumuè huic rei ab Episcopo ipso præfectum excusationem suam deferri curet; atq; vt sibi impunè abesse liceat, facultatem obtineat. Quo tempore diuina officia celebrantur, Canonici capitulares conuentus non agant; si egerint, perinde habeātur, ac si horis interim recitatis non interfuerint, careantque emolumento præsentibus debito; quod si exegerint, sciant se, nisi duplum restituerint, lethifero crimine esse obstrictos, neque eo solui ante

posse,

posse, quàm satisfecerint: In quo quidem, Prioris, Decani, Præpositi, aliorumque, quorum id interest, conscientiam oneramus. Quo kalendario ad diuina officia recitanda vti Metropolitana consueuit Ecclesia, eo etiam cæteras Prouinciæ nostræ Ecclesias vti iubemus, additis duntaxat celebritatibus eorum sanctorum, quos quæq; Diœcesis & locus Patronos veneratur & colit. Quibus in Ecclesijs, propter prauam consuetudinem, horæ omnes Canonicæ non recitantur, in ijs vt omnino in posterum recitentur, mandamus.

Cap. II.

PArochi, & dignitates animarum curam adnexam habentes, in suis quique Ecclesijs, veluti quidam excubitores resideant; nec plus, quàm biduum, sine Episcopi, aut Vicarij Generalis permissu, ab ijs absint; interea verò Ecclesijs per alios satisfaciant: quod si diutiùs opinione abfuerint, nisi reuersi ante decẽ dies elapsos, modò possint, de suo reditu certiorem Episcopum fecerint, ita de ijs statuatur, ac si non impetrata venia abfuissent: quare non Curatores modò animarum, sed alios etiam omnes Clericos teneri volumus. Quæcunq; demum Sacra Tridentina Synodo, summorumque Pontificum Constitutionibus de residentia sancita sunt, ea obseruentur omnia, pœnæq; contumacibus irrogentur illæ, quas ipsummet Concilium, ijdemq; summi

Pontifices comminantur;aliæque præterea,quæ conuenire Ordinario videbuntur. In posterum verò Parochiale munus, nec priuilegiorum, nec consuetudinis, alteriusuè iuris prætextu, per alium, quàm per ipsum Parochum præstari non permittatur, nisi prius ea iura,ac priuilegia in visitatione legitimè exhibita,& à loci Ordinario maturè discussa,atq;examinata fuerint; vt si qua obrepiticia, aut subrepiticia esse cōperiantur, ea irrita, ac nulla omnino declarentur.

De Sacrosanctis Ecclesijs. *Cap. L.*

NVllæ in posterum Ecclesię, Monasteria, Oratoria,(quod sacrorum Canonum, Conciliorumque decretis consentaneum est,) nisi Episcopo consensum scripto testificante, cōdantur: Altaria in conditis nulla aut excitentur, aut diruantur; nihil planè addatur, minuatur, aut fictum pictumuè quouis modo collocetur. Caueant Prouinciæ nostræ Episcopi, ne quemquam Ecclesiasticum, laicumuè cuiusuis conditionis hominem, Ecclesiam, Oratorium, Capellam, aut Altare exstruere, vel consecrare patiantur, nisi, dotis nomine, tantum ante fuerit attributum,quantum ad Ecclesię Altarisuè ornatum, nec non ad necessarium victum Sacerdoti, Clericoque suppeditandum sit satis: satis autem existimetur, si cuiuis Ecclesiæ, Oratorio, Capellæ, Altariuè permissu ædificato, triginta saltem

aureorum nummorum cenſus & reditus aſsignentur; quo Dominicis, reliquiſque feſtis diebus, vnius ibi miſſæ ſacrificium fiat. Supellex verò omnis, cum ad celebrandum, tum ad altare inſtruendum neceſſaria, primò quidem fundatoris ipſius, deinceps verò titularis ſumptibus perpetuò comparetur. Epiſcopus, cuique miſſæ per annum ſemel in hebdomada celebrandæ, eleemoſynam ſex ſaltem ſcutatorum conſtituat; quæ, ſi propter exiguos quorundam altarium fructus, defunctorum legatis relictos, conſtitui nequeat, modò onera non ſint in fundatione impoſita, ex præſcripto Concilij Tridentini, Miſſæ ad numerum ipſis reditibus congruentem per Epiſcopum in Synodo redigantur; & inſtitutorum in ſingulis Miſsis commemoratio fiat.

Caput II.

CVius ſancti nomine Eccleſia quæque dicata eſt; eius imaginem, ſi commodum ſit, ſupra portam ipſius Eccleſiæ collocari laudabile ducimus. Sicubi feneſtræ ſint, per quas audiri diuina officia, ſpectarique ſacra myſteria ex via poſſint, duos intra menſes obſtruantur: per quas autem ex alienis ædibus proſpectus in Eccleſiam pateat, eodem temporis ſpatio vel exædificentur, vel ſpecularibus, telaue claudantur: atque hoc ipſum, ad imbres, ventos, cæteraſque iniurias cæli arcendas, in

alijs quoque vt fiat, mandamus. Christi in Cruce pendentis effigies in prospectu maioris Capellæ statuatur. Labrum ad aquę benedictæ vsum, si fieri commodè possit, marmoreum cum aspergillo Ecclesiam ingredientibus paratum sit. Lampas ante Sanctissimum Sacramentum vitrea perpetuo igne colluceat: Si extinguatur, Parochus, & Custos Ecclesię pœnas ad Episcopi arbitrium luant. Quibus in Ecclesijs celebratur, in ijs omnino Sacrarium sit: nihil demum eorum desit, quę ad cultum, ornatumque tam sacro loco congruentem pertineant.

Caput III.

ECclesiæ ita crebrò purgentur, vt in ijs nullæ vnquam sordes conspiciantur. Quisquis hac in re negligenter se gesserit, vel ipsius Vicarij foranei iudicium subeat, vel ad Episcopum deferatur. Pauperes eleemosynam in Ecclesia flagitantes eijciantur; foribus tamen ipsius Ecclesiæ assidere, atque ab ingredientibus, & egredientibus petere permittantur. In Ecclesia, neq; citari quemquam quacumque de causa, neque vllos alios iudiciarios actus fieri liceat; si fiant, pro nullis & irritis habeantur.

Caput IIII.

PRæter Ecclesiam Cathedralem, nullas prorsus huius nostræ Prouinciæ, quæcumque, aut vbicumque eæ sint, vel ante auroram, vel post

solis

ſolis occaſum apertas eſſe Eccleſias volumus; abſolutis etiam diuinis officijs, ſtatim claudantur, niſi propter iuſtam aliquam cauſam, lociuè conſuetudinem faciendum aliter videatur. Si quando aperire eas neceſſe ſit, ſemper, vt aliquis cuſtos adſit, curetur. Ruralium Eccleſiarum portæ ſummo mane pandantur, vt ibi, ſi velint, antequam diurni laboris opus ſuſcipiant agricolæ, res ſuas, ſequè ipſos Deo commendent.

Caput V.

CApella maior cancello decenti ſæpta claudatur: eo laicis ingreſſus non pateat. Arcæ, in qua cereæ faces, ad vſum Sanctiſsimi Sacramenti, à Confratribus eiuſdem Societatis adſeruari ſolent, nullus ibidem ſit locus. Ad faculas diſtribuendas, ne ex ipſis quidem confratribus quiſquam intra cancellos ingrediatur: ſed Clericus ſuperpelliceo amictus huic muneri ſatisfaciat.

Caput VI.

ALtarium formam ſeruari iubemus eam, quam in Concilij fine trademus: Si qua igitur ad eius preſcriptum extructa non fuerint, corrigantur intra ſex menſes; ac nulla, niſi ad eam rationem in poſterum exſtruantur. Pallia, quibus altaribus induuntur, vel ex ſerico panno, vel ſaltem

ex inaurato corio confecta ſint; eaque, pro varietate colorum, quos Eccleſiæ ritus, & rubricarum præſcripta poſtulant, ſemper mutentur. Altaria tribus ſingula mundis mappis inſtructa ſint: Crux item duobus minimùm candelabris ex orichalco, rebuſq. alijs neceſſarijs decenter inſtructa.

De Sacriſtia. Caput I.

SIne Sacriſtia nulla Parochialis & inſignis Eccleſia ſit: Formam in poſterum condendarum præſcribat Epiſcopus: conditæ ad eam, vtcumque liceat, accommodentur: In ea altare ſit cum armarijs, vel vno, vel pluribus, ad omnem Eccleſiaſticam ſupellectilem commodè conſeruandã: Aquarium præterea ad abluendas Sacerdotum manus. Ij, quorum intereſt, ſingula vt munda ſint, pro tanti miniſterij dignitate, diligenter curent. Paramenta, quorum vſus aut in ornandis altaribus, aut re ſacra facienda aliquis eſſe ſolet, nulla ante adhibeantur, quàm ab Epiſcopo fuerint benedicta.

Caput II.

IN Eccleſijs Tabularium nullum habentibus, ſi res poſtulet, locus ſaltem aliquis ſit bene tutus, & claue munitus, in quo ſcripta omnia ad Eccleſię iura ſpectantia ſeorſim à cæteris Eccleſiaſticis libris

libris condita aſſeruentur. In Parochialibus, præter ſeptem ſolitos libros iuxta formã editã, Pontificiæ literæ, & paſtorales Epiſcoporum, edicta Epiſcopalia, necnon eiuſdem generis alia, ſumma cura & fide habeantur. Vaſa Eccleſiæ vſibus neceſſaria, tabellę, feretrum, cæteraque huiuſmodi ad eam planè rationem, quam tradet Epiſcopus, comparentur.

De Sepulcris Caput I.

TAM vetus ea cõſuetudo eſt, qua ſepulcra in ipſis Eccleſijs ædificãtur, vt eam tolli, reuocariq; intermiſſum iam cœmeteriorũ vſum penitus poſſe, optandum potius ſit, quàm ſperandum: Ne quid tamen ad hanc quoquè rem omiſiſſe videamur, iubemus, Eccleſiarum Rectores nulli prorſus in Eccleſia ſepulturæ locum, eiuſuè condendę facultatem concedere, niſi Epiſcopus ita ſe velle ſcripto declaret: aliter, quàm hoc decreto ſtatuimus, facientibus, præter ſuſpenſionis pœnam, mulcta etiam decem ſcutatorum, ad piorum locorum vſus, irrogetur. Intra Chorum, Capellamque maiorem, ſibi, alijſuè ſepulturæ ponendę Epiſcopi poteſtatem nemini faciant: ſi qua verò aut ibi, aut ita prope quæuis altaria poſita ſit, vt ea Sacerdotis celebrantis pedibus conteratur, ante ſex menſes elapſos tollatur, vel celebrari in ipſis altaribus omittatur. Sepulcra ſolo altiùs excitata non ſint, eaque, ad vim fœtoris arcendam, duplici marmoreo claudantur operculo.

Caput II.

SEpulcris nihil ante inſcribatur, ſculpatur, inciDaturuè, quàm ab Epiſcopo fuerit approbatum: quæ marmore operta non ſunt, aut intra menſem operiantur, aut nullius cadauer eò inferatur. Eccleſiæ ſolum, interdicti pœna propoſita, ſine Epiſcopi permiſſu, ſcripto extante, effodi, humumque inde egeri ad cuiuſquam corpus condendum, vetamus.

Caput III.

SEpulcra, ad Epiſcoporum, Canonicorum, & cæterorum Clericorum corpora recipienda, in decenti Eccleſiæ parte ſpectentur: ſicubi verò deſiderentur, ea vt fiant, Canonum decretis innixi, concedimus. Parochialium etiam Eccleſiarum Clerici in ijſdem Eccleſijs ſepulcra, &, ſi fieri poſsit, diſcreta ab alijs habeant. Quòd verò ad Oratoria attinet laicorum, in ijs nulla in poſterum ſepulcra exſtrui volumus: in exſtructis autem condi ſi velint, ipſius ſepulturę ius certis probationibus confirmatum Epiſcopo ante exhibeant.

De Cæmeterijs. Caput I.

ATria, & porticus Eccleſiarum, loca item hominibus, brutiſque patentia, & in quæ proſpectus ex feneſtris ſuperioribus eſſe queat,

ad

ad cœmeteria constituenda non eligantur. Hæc ampla, perpetuo muro sæpta, & quadrata vt sint, curetur: sepulcra in ijs eo ordine disponantur, vt pari interuallo alterum ab altero distet. Si commodum sit, porticus superexstruatur, & picturis ornetur: In medio marmorea, vel saltem lignea Crux statuatur. Vas aquę benedictę, atq; aspergillũ perpetuò adsint.

De Campanis, & Campanili. Cap. I.

MVlta profectò commoda sunt, quæ campanarum vsus afferre hominibus consueuit; etenim, præterquàm quod ipsarum sono fidelis populus ad Ecclesiam conuocatur, atq; ad diuinas laudes prædicandas Clerus allicitur, dæmonibus etiam terror inijcitur, vis grandinum, fulgurum, tempestatumque propellitur; plurima deniquè animis, corporibusque nostris infesta, quod ex earum benedictionis formula intelligitur, longissimè submouentur. Curent igitur Titulares Ecclesiarum, vt, si quæ campanæ nondum sacratæ sint, eæ quãprimùm ex Pontificalis præscripto benedicãtur.

Caput II.

SIne campanili, eoque campanis instructo nulla Ecclesia sit: id non è tecto maioris Capellæ, sed ex aliqua alia parte excitatum emineat. Si

quod in posterum ædificari contingat, fiat ad eam omnino formam, quam Episcopus tradet, ad quam etiam, quæ exstructa iam sunt, quantum fieri commodè potest, reducantur: eorum fores semper munitæ clauibus habeantur. In Ecclesijs verò ipsis nullam esse campanam volumus.

Caput III.

CAthedrali Ecclesiæ plures, Parochiali duas saltem campanas esse maximè conuenit: Ecclesiæ simplices, atq; oratoria modò vnam habeant, satis erit: ijs, nisi ante benedictis, vti non liceat: benedictionis verò monimentum in ipsomet campanili disertis inscriptum literis extet. In campanis, præter Crucis, aliusuè sacræ imaginis signum, nihil prorsus incisum, expressumuè conspiciatur.

Caput IIII.

CAmpanæ sacratum ædium, diuinorum dumtaxat officiorum causa, atque ad tempestates depellendas pulsentur: ita verò custodiantur, vt à quoquam, sine Parochi, Custodisuè facultate, pulsari non possint. Salutationis Angelicæ signum nullibi ante detur, quàm idipsum Cathedralis in Vrbe, in Oppido autem plebana, seu Parochialis Ecclesia dederit; atque idem Sabbathi sancti

die,

die, dum Canticum,Gloria in in excelsis, campanarũ sono fideli populo nunciatur, seruari præcipimus.

De Funeribus, & Exequijs. Caput I.

HOrtentur sępe Christianum populum Concionatores; eumque ad mortuorum animas omni suffragiorum genere prosequendas ita inflamment, vt nihil, vnde illę iuuari possint, per negligentiam & socordiam prætermittatur.

Cap. II.

IN efferendis funebri pompa corporibus defunctorum, modestia in apparatu, pro cuiusuis conditione, retineatur, fastusque omnis ad animæ salutem inutilis fugiatur: Comessationum vsum, sicubi is adhuc forte vigeat, extra Ciuitatem penitus tollimus: Quod si Parochiale domicilium à defuncti ædibus tam longè absit, vt frugali cibo reficiendæ vires corporis videantur, id fieri minimè prohibemus, modò neque immodestè, neque in ipsis defuncti ædibus cibus sumatur; in Ecclesia verò, Sacristia, alioue sacro loco, qui sumpserit, scutatos duos mulctæ nomine Vicario foraneo soluat.

Caput III.

NEminem in funere cuiquam laudare liceat, inconsulto Episcopo: hic autem, & laudatorem, & laudationem ipsam scriptam vi-

deat ante, & probet: Oratio verò, si eiusmodi sit, quæ, propositis humanæ vitæ miserijs, auditores ad æternæ patriæ desiderium excitet, atque à perito, & Ecclesiastico viro habeatur, ita permitti poterit, si neque domi, neq; alibi, quàm in Ecclesia ipsa dicatur.

Caput IV.

PIE profectò fuit à sanctis Patribus institutum, vt Episcopo anniuersarius exequiarum honos ab eo, qui in eius locum successisset, tamdiu solueretur, quamdiu is vitæ munere frueretur. Id iam pene abolitum reuocare magnopere cupientes, successorem Episcopum, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, vbi funus celebrari oportet, sumptibus ad eam rem necessarijs oneramus. Episcopo periculosè languenti duo ex Capitulo semper adsideant; quorum etiam partes sint, Episcopum, qui propiùs absit, de instanti mortis periculo commonere, vt is adcurrens, vel morienti pietatis officia præstet, vel iam mortuum, vnà cum sæculari, regularique Clero ad Ecclesiam, & sepulcrum comitetur.

Caput V.

NVllius omninò corpus sepulturæ mandetur, nisi duodecim saltem post efflatã animam horis; si quem verò de improuiso mors, aut repenti-

repentina vis alicuius morbi extinxerit, is, nisi Episcopus aliter ex causa concesserit, in sepulcrum ante non inferatur, quàm ab eo casu horæ quatuor & viginti effluxerint. Quadraginta verò ipsas horas nullius cadauer inhumatum relinquatur. Defuncti Episcopi corpus, cum domi, tum in Ecclesia, Capituli ipsius cura, & vigilantia diligentissimè custodiatur: ei frequentes ex Clero adsint, Clericiq; minimùm duo cum superpelliceis semper assistant, æternamque illi à Deo requiem piè precentur. Hæc quoque Capituli cura sit, vt comprouinciales Episcopos omnes de Episcopi obitu faciat certiores, vt illius animam precibus Deo commendent; tum omnibus diœcesanis Sacerdotibus idem significet; quibus nos hoc pium onus imponimus, vt nouem saltem dies pro illius anima Missæ sacrificium faciant; Quibus verò diebus ex Ecclesię ritu Missas pro mortuis celebrare non licet, ad singulas priuatas commemoratio pro defunctis adhibeatur: Vicarij præterea foranei omnes, qui intra decimum; Parochi autem ipsi intra septimum ab vrbe lapidem degunt, ad Episcopi exequias ab eodem Capitulo euocētur; atque hi suo quique populo sint authores, vt, ad communis patris pastorisque funus ducendum, vnà secum discedant.

Caput

Caput VI.

Cadauer, quod iam ſepulcro conditum ſit, effoſſum alio inde exportare non liceat, niſi ſcripto facta ab Epiſcopo facultate. Parochus, intra cuius Eccleſiæ fines, vel occiſus, vel alio quouis caſu mortuus quiſquam fuerit, eius corpus inde tolli à proprio ſinat, eoque nomine nihil aut petat, aut capiat.

Caput VII.

Ad omnem ſimoniacæ prauitatis, atq; auaritiæ ſuſpicionem vitandam, nihil pro funeribus, atque anniuerſarijs Sacerdotes, & Clerici paciſcantur; ſed ſinguli, niſi aliud Parochus vltro ipſe det, illud æquo animo & libenter accipiant, quod dare Eccleſia conſueuit. Præter ea, quæ vel iure, vel conſuetudine debentur Eccleſię, ex ijs, quæ ornandi mortui, aliuſuè rei gratia ad Eccleſiam delata ſunt, nihil Parochus, vt ſibi pro funere caueat, intercipiat; nullum item vel pauperem, vel extraneum, mercedis cauſa, carere ſepulcri honore patiatur; ab eoque ne minimum quidem petere iure poſſit, aut exigere.

Caput VIII.

Vt nullus omnino ſit ſuperſtitioni locus in mortuis, nihil aut eorum manibus inſeratur, aut in feretro collocetur, quod ſuperſtitioſum quoquo modo videri queat.

De

NVlla re magis ad virtutum omnium studium incitari homines solent, quàm eorum exemplo, quibus præesse cæteris datum est: Episcopi igitur, quemadmodum alijs dignitate præcellunt, ita etiam niti debent, vt vitæ innocentia & sanctitate omnibus præstent, ne quarum rerum iudices & vindices constituti sunt, eas quisquam in ipsis iure reprehendat.

Caput II.

POntificem ex hominibus assumptum, ad dona, & sacrificia pro hominibus, eorumq; peccatis offerenda, constitutum esse, testante Apostolo, nouimus: Sciant itaquè Prouinciæ nostræ Episcopi, nec sibi ipsis, nec gregi suo quidquàm vtilius & salutarius fore, quàm si ad asiduum orandi contemplandique vsum, sacrorum quoq; mysteriorum frequenter celebrationem iungant.

Caput III.

QVoniam concionandi munus Episcoporum est proprium, illos de eo obeundo sic cupimus esse solicitòs, vt, nisi legitimè fuerint impediti, ad præscriptum Concilij Tridentini, ipsi

per

per se, solemnioribus saltem diebus, diuini verbi pabulum ouibus suis suppeditent; atq; ad circumeuntium luporum arcendas insidias, veluti generosi quidam canes ouili custodiendo præfecti, semper oblatrent.

Caput IV.

NE priuatas quidem ac domesticas actiones suas sine testibus esse velit Episcopus: in suarum ædium penetralia, nisi duobus saltem præsentibus, mulierem nullam admittat. Domum & familiam suam ritè moderetur, & regat: in ea contentiosos, vinolentos, impudicos, blasphemos esse non sinat; contra verò, modestiæ, honestatis, reliquarumq; Christianarum virtutum amatores recipiat: ij, vt singulis mensibus semel confiteantur, & Eucharistiæ Sacramentum suscipiant, singulis verò diebus litanias cum precibus simul omnes recitent, aliaque pietatis, & charitatis officia amplectantur, diligentissimè curet.

Caput V.

EPiscopus habitum ordini suo congruentem nusquam deponat. Sexta quaque feria, Vigilijs, totoque eo tempore, quo Aduentus, & Quadragesima celebrantur, nisi aliter ex Ecclesiæ ritu faciendum sit, vestibus nigri coloris vtatur. In Pontificio solio numquam sine cappa spectetur, siue diui-

diuina officia peragenda, siue concio in propria Ecclesia habenda sit.

Caput VI.

PRopter rerum quarumuis iacturam, præsertim si minor sit summa, quàm vt quinquaginta scutatos efficiat, monitoria illa, quæ, monitionibus præmissis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus feruntur, ab Episcopis non concedantur, nisi Tridentini Concilij forma seruata, eaque clausula adhibita: quorum nomina penitus ignorantur: rei verò criminalis causa omninò negentur. Si quem è sua diœcesi Episcopus Fidelium communione eijecerit, vel eiectum postea per absolutionem restituerit, vtraque de re Metropolitanum, & reliquos comprouinciales Episcopos moneat, ne in suis illi diœcesibus, aut excommunicatum recipiant, aut absolutum expellant.

Caput VII.

COgnitionem causarum, ad Ecclesiasticum forum, iure, vel consuetudine pertinentium, eripi sibi Episcopi, eorumuè Vicarij Generales minimè patiantur; sed cum eas ipsi cognoscant, tum in cæteris rebus omnibus, pro sui muneris ratione, iurisdictionẽ Ecclesiasticã acerrimè tueantur.

Caput VIII.

IN Ecclesiarum Parochialiũ vacationibus, quarum curam, per concursum, magis idoneis mandari oportet, competitores intra certum tempus publico edicto ad examen vocentur. Neminem à quouis iuris patrono ad beneficium præsentatum Episcopi ante instituant, quàm huiusmodi Iurispatronatus titulus, vt sacra Tridentina Synodus sanxit, legitimè & ad vnguem probatus fuerit.

Caput IX.

OBlationes, & eleemosynas, quas Fideles diebus festis, Parocho diuina mysteria obeunte, iuxta sacros canones offerre olim in Ecclesia consueuerant, Episcopi in vsum reuocandas curent. Cathedrales Ecclesiæ anniuersarium sui Episcopi consecrationis diem, quamdiu is vixerit, quotannis celebrent. Exempla decretorum Apostolicorum, siue Bullarum, nec non eorum, quæ ipse ediderit, Metropolitanus ad comprouinciales Episcopos mittat.

Caput X.

SI mori contingat Episcopum, donec alius in eius locum suffectus sit, assiduis ea res à Deo precibus postuletur, atque omnibus diebus Dominicis, ad Spiritus sancti gratiam implorandam,

dam, ſupplicationes in ſingulis Eccleſijs habeantur. Capitulum ſtatim Vicarium creet, aut iam creatum confirmet, modò conditiones habeat ex præſcripto Tridentini Concilij neceſſarias: huius verò creationis, ſeu deputationis ius ad Metropolitanum, poſt octauum diem, ex eodem Concilio Tridentino deuolutum intelligatur. Vnus præterea, duoue Oeconomi ab eodem Capitulo deligantur, qui res ad Epiſcopalem menſam quoquo modo ſpectantes ita tueantur & curent, vt earum rationem ſciant ſe ſucceſſori Epiſcopo reddituros. Supellectilem item, eàque bona, quæ ſpoliorum nomine Pius V. ſua Conſtitutione comprehendi noluit, diligenter cuſtodiant. Atque huius etiam optionis ius, ſi ea in re Capitulum ſe negligentiùs geſſerit, poſt idem ſpatium octo dierum, ad Metropolitanum pertineat.

De Viſitatione per Epiſcopum habenda. Caput I.

EPiſcopi, (quod etiam Tridentina Synodus ſtatuit) ipſi per ſe, vel, ſi propter legitimum impedimentum non poſsint, per Vicarium Generalem, aut Viſitatorem, ſuam quiquè diœceſim, vel vniuerſam, vel, ſi propter eius amplitudinem minùs queant, maiorem certè illius partem ita quotannis viſitent, vt tota biēnio obeatur; ſtudeantq; præterea, vt ſuas quiq; regiones Vicarij foranei, ſin-

 gulis

gulis annis ſine procuratione pariter obeant; dentq; operam, vt quæ in Epiſcopali viſitatione decreta fuerint, executioni mandentur.

Caput II.

VIſitationis initium à Cathedrali Eccleſia fiat; inde ad reliquas Ciuitatis Eccleſias Epiſcopi iuriſdictioni ſubiectas, Monaſteria monialium, Sodalitates, Oratoria tranſeatur; cæteræ deinceps diœceſis Eccleſiæ ſingulæ viſitentur. In Sacerdotum, Clericorumque omnium mores, & vitam diligentiſsimè inquiratur; eorum familia, & libri inſpiciantur: quemadmodum pia loca vtcumq; nuncupata, ac Hoſpitalia adminiſtrentur, denique videatur.

Caput III.

AD huiuſmodi munus præſtandum, Epiſcopus, ſi ita cenſuerit, duos vel Canonicos cuiuſcumque huius Prouinciæ Cathedralis Eccleſiæ, vel ex Clero, alioue Eccleſiaſtico ordine, probitate, & literis præclarè inſtructos ſecum adhibeat. Ne verò ſumptibus grauioribus onerentur ij, ad quos viſitandos acceditur, Epiſcopi comitatum hominibus octo, & ſex equis; Vicarij quatuor hominibus, & tribus equis; Viſitatoris hominibus duobus, & totidem equis contineri volumus, Epiſcopo ip-

ſo,

so, Vicario, & Visitatore in hunc numerum semper inclusis.

Caput IV.

NOtarium, cuius opera Episcopus in Visitatione vtitur, vbi commodum sit, Ecclesiastici ordinis esse placet. Is, nec pecuniam, nec aliud vllum cuiuscumque generis munus, ab ijs, qui visitantur, accipiat. Si quæ decreta, aliquo petente, exscripserit, mercedem laboris accipiat eam, quam Episcopalis fori taxa præscripserit.

Caput V.

VIsitationis dies ab Episcopo Parochis paulò ante significetur, vt nec imparati ipsi offendantur, & ea de re populus commonefactus, & de fructibus, causisque Visitationis edoctus in Ecclesiam ad Episcopi, seu Visitatoris concionem audiendam, quæ numquam in hac actione prætermittetur, cum religiosè conueniat, tum sacramenta, quæ solus ministrare Episcopus potest, Confessione & Communione refectus, purgatusq; suscipiat.

Caput VI.

VEnienti Episcopo Parochus cum populo obuiam exeat; Pastoremque suum omnes omnibus Christianæ demissionis officijs ad Ecclesiam prosequuti, in ea, donec visitatio perfecta

secta sit, frequentes assiduè adsint. Episcopus cuiuis vtile aliquid in medium afferre, & de rebus ad Ecclesiam pertinentibus loqui volenti, aditum ad se patere facilè sinat, eumque libenter audiat.

Caput VII.

QVod verò ad eos attinet, quibus Confirmationis Sacramẽtum ab Episcopo ministrandum erit; ante eius aduentum Parochus ea curet omnia, quæ nos ea de re paulò ante præscripsimus. Triduum illud statum Visitationis diem præcedens, vbi commodum sit, quadraginta horarum oratione vtiliter transigatur. In quemcumquè locum Episcopus venturus erit, eò Ecclesiasticum virum, religiosum, & doctum præmittat, qui & de visitationis munere cõcionem ad populum habeat; & absolutionem etiam præbens eorum criminum, quæ sibi idem Episcopus reseruauerit, cætera omnia præstet, quæ nisi is præstitisset, remorari Episcopum potuissent. Ad huius quoque officium pertinebit, Parochum de rebus omnibus visitationi necessarijs edocere.

Caput VIII.

PArochos ita paratos esse oportet, vt si Episcopum, Visitatoremuè voluntas incesserit, eos concionantes audiendi, satisfacere huic mu-

neri ſtatim queant: ſi qui verò aut rudiores, aut ſegniores in ſtudijs,quæ profitentur, inuenti fuerint, ij ſeuerè & grauiter puniantur. Viſitator Curati mores, omnemque eius vitam exploret, atque, vbi res poſtulet, non orationis modò ſeueritate illum corripiat,ſed pœnis etiam debitis in eundem animaduertat: Præter Eccleſiam, Parochiale quoquè domicilium viſitet; ac ſi ita opus eſſe iudicet, fructibus ſequeſtro poſitis, Eccleſiæ ipſius altarium, ædiumque neceſsitatibus conſulat.

De Synodo Diœceſana. Caput I.

VIX tam multis vtilitatum prouentibus ex frequenti Synodorum celebratione ditatur Eccleſia, quin ex intermiſſa ſæpè multò plura capiat detrimenta. Quod cum intelligerent ſacri Concilij Tridentini Patres, Diœceſanam Synodum à ſingulis Epiſcopis quotãnis haberi voluerunt. Horum nos decreta ſecuti, in quamcumque Cathedralem Eccleſiam eius Diœceſis Clerum, quem iure intereſſe oportet, ſingulis annis poſt octauam Reſurrectionis Dominicæ diem,alioue magis opportuno tempore, prout Epiſcopo viſum fuerit, conuocari præcipimus. Epiſcopi in ſua quique diœceſi Synodo celebrandæ diem præſtituant; eamque ſacro Epiphaniæ die, vnà cum feſtis mobilibus denunciari in Eccleſia iubeant.

Caput

Caput II.

SCiant Abbates, Præpositi, Archipresbyteri, quibus in ea diœcesi beneficia mandata sunt, etiam si alibi habitent, omnesque item, qui vel iure, vel consuetudine Synodo interesse debent, nisi ipsimet interfuerint, ita secum actum iri, vt pœnis à sacris Canonibus, atque à Tridentino Concilio constitutis, necnon ab ipso etiam Episcopo constituendis afficiantur, modò se legitime impeditos esse eidem Episcopo non probent.

Caput III.

QVinta quaque feria, per mensem antequam Synodus habeatur, in omnibus eius diœcesis Ecclesijs, à singulis Sacerdotibus vel missa de Spiritu sancto celebretur, vel saltem diebus non impeditis commemoratio fiat in Missis. Parochus populum doceat, quanta res sit Synodum celebrare, eumque, ad rem tantam Deo suis precibus commendandam, frequenter excitet; studeat etiam eidem persuadere, vt & Confessionis sacramentum obeat, & Dominico die, qui celebrationem Synodi antecedit, Sanctissimam Eucharistiam suscipiat, vt nihil, nisi quod Dei laudem, animarumque salutem attingat, vel agatur, vel statuatur. Clerici Sacerdotes cuiusuis ordinis eodem præcedenti Domi-

nico die Missæ sacrificium faciant; qui Sacerdotes non sunt, sacram communionem omninò sumant, vt tam pium, tamque salutare negotium quanta posint mentis, atque animi puritate auspicentur.

Caput IV.

VIcarij foranei hæc in Synodo accuratè descripta exhibeant; quę sint Clericorum sibi subditorum in Ecclesiastica disciplina, bonisque moribus progresiones; quàm sedulam diuinis officijs obeundis, sacrisq; ritibus addiscendis operam nauent; quantoque cum fructu Christianæ doctrinæ tradendæ curam, negotiumque suscipiant; quo studio pro salute animarum Parochi excubent; quà diligentia, & charitate Sacramenta poscentibus administrent; quàm frequenter Dei verbo populum pascant; quàm solicitè eundem veræ fidei rudimentis instituant: Vtrum residendi muneri satisfaciant; honestatis, & modestiæ omnibus in rebus studiosi sint; Parochialis officij partes ritè sustineant; qui sit Ecclesiarum, Curatarum maximè, status; an vllas aliqua parte sarciri oporteat; an, vt decet, debitus in ijs cultus Deo exhibeatur; an sacris vestibus, omnique necessaria supellectili satis instructæ sint; an reliqua in ijsdem omnia tam augusti loci maiestati respondeant: Vtrum Synodalibus vllis decretis, Visitationum Apostolicarum edictis, Ordinariorumuè

præſcriptis, aut alijs eorundem quibuſuis mandatis adhuc obtemperatum non fuerit; & quid huic rei moram attulerit.

Parochi verò in præmiſsis hæc afferant; vtrum aliquid in ſua Parochia ſit, cui remedium adhiberi oporteat; vtrum dies feſti religiosè colantur; quàm frequens ſit ad Chriſtianæ doctrinæ exercitationem populi fidelis concurſus; quæ in officijs pietatis præſtandis alacritas; quæ in Eccleſijs conuerſatio; quomodo, quantaque frequentia piorum hominum ſodalitates adeantur, atque curentur; quæ demum diſciplina morum, & Dominici gregis de Beatis illis æternæ vitæ paſcuis conſequendis ſolicitudo & cura.

Caput V.

PRidie eius diei, quæ habendæ Synodo dicta fuerit, Vicarij foranei in ædibus Epiſcopalibus adſint; ibique ſuarum quique regionum nomina, Clericorum etiam iuſtis de cauſis abſentium, deſcripta Epiſcopo tradant: Quo verò die Synodus celebranda eſt, omnes, quorum intereſt, ita conueniant, vt non modò talaribus veſtibus, iiſque decentibus, & ſuperpelliceo ſint induti, ſed breuiarium etiam, & Calendarium, quo hæc noſtra Prouincia vtitur, nomine & cognomine poſſeſſoris adſcripto, ſecum omninò afferant, vt vel Epiſcopo, vel ei, cuius ille id munus eſſe voluerit, exhiberi de more poſsit.

Caput

Caput VI.

DVM iter ad Vrbem ſacri huius Conuentus cauſa faciunt, de Clericali diſciplina, modeſtia, & grauitate nihil remittant. Cum ad Vrbem peruenerint, non ad tabernas meritorias, ſed vel ad amicos, conſanguineoſuè, qui habent, diuertant, vel ea hoſpitia, quæ pro numero Clericorum Epiſcopus in Vrbe paranda curauerit. Qua quidem in re illud ſeruetur, vt eò quiſque ſe conferat, quò ſibi hoſpitium conſtitutum ſyngrapha ab eodem Epiſcopo accepta intelligit. Ibi ità pie ſe gerēt, vt, cuius rei gratia venerint, omnes intelligant. Per Vrbem neque curiosè vagentur, neq; animum alienis cogitationibus à re, quæ agenda eſt, abſtrahant; cuius exitus, vt ſibi, populoque ſalutaris ſit, aſsiduis à Deo precibus petant. Sacerdotes rem ſacram quotidie faciant; Inferiorum verò Ordinum Clerici, ſaltem quo die ſeſsio prima habebitur, Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipiant; Deumque pro ſummo Pontifice, ſereniſsimo Magno Duce, Chriſtianis Principibus, Synodique ipſius, & cæterarum Paſtoralium rerum vberrimis fructibus precari non deſinant.

Caput VII.

PRomotoris munus ad Iuriſperitum Canonicum Cathedralis Eccleſię deferatur: ex eodem pariter Canonicorum reſidentium nu-

mero, duo ab Episcopo deligantur, quibus curæ sit, absentium causas, rationesque cognoscere; controuersias item, querelas, & accusationes eiusdem Episcopi nomine audire, & ad eum referre: cui tamen integrum sit eas vel ad se auocare, vel alteri delegare. Quidquid erit aut Synodalium Decretorum, aut summorum Pontificum, & Concilij Tridentini Constitutionum, aliarumuè rerum eiusdem generis in Synodo recitandum, id fiat per vnum aliquem ex Canonicis, qui saltem Diaconus sit. Pridie eius diei, quæ celebrandæ Synodo fuerit præstitita, sub primam noctis horam campanæ omnes vrbis pulsentur. Ad sessiones, quibus illæ diebus habendæ erunt, certis ictibus, qui è Cathedrali Ecclesia maiori campana dabuntur, Clerus omnis vocetur. Stata hora, quæ vt omnibus nota sit, affigenda erit Ecclesiæ valuis, singuli ad Episcopales ędes cum superpelliceis mundis se sistant, atq; Episcopum ad Ecclesiam comitentur. Antequam conuentus habitus, dimissusque sit, cibum non sumant: suo quique loco ordine sedeant; Dignitates, & Canonici pluuialibus; Vicarij foranei superpelliceis, & stolis; cæteri superpelliceis, & si quid aliud cuiusq; dignitas, & gradus postulat, àmicti sint.

Caput VIII.

Silentium ab omnibus ita teneatur, vt nullis neque vocibus, neque clamoribus cuiusquam interturbetur: rei, quæ agitur, & loci ratio

habeatur. Synodi initiũ fiat à ſupplicatione publica, quæ per Vrbem agatur: Huic ſecularis, regulariſq; Clerus interſit: ea peracta, Miſſæ ſacrificium ſolemniori ritu Epiſcopus faciat; breuem deinde concionem ipſe, aliuſuè ad id ab eo delectus, de rebus ad Synodum pertinentibus habeat: indicto ſilentio, reliqua tranſigantur: ſeſsionum numerum ad rerum agendarum multitudinem, & copiam accommodatè Epiſcopus ipſe definiat.

De Vicarijs Foraneis. Cap. I.

DIœceſis nullam eſſe partem decet, quæ Paſtoralem vigilantiam, & curam deſideret. Verùm quia vbique ſimul Epiſcopus eſſe non poteſt, verendumq; magnopere eſt, ne, dum is curare vnum membrum ſtudet, aliud interim langueat, eò cogitationem debet intendere, vt omnibus æquè partibus medicinam adhibeat; quod ſanè facile conſequetur, ſi Diœceſim vniuerſam pro illius amplitudine in plures, pauciorеſuè regiones diſtribuet, ſinguliſque, ſingulos Sacerdotes præficiet, grauitate, doctrina, & moribus commendatos. Horum, qui Vicarij foranei vocabuntur, intererit Conciliaria Decreta ſubditis promulgare, quæquè ijs ſancita ſunt, ea vt re ipſa præſtentur curare; euellendis vitijs, & virtutibus inſerendis ſtudere; Cleri diſciplinam prouehere, &, ſicubi corrupta ſit, reſtituere.

Hi verò, præter facultates, quas patentibus expressas literis concedendas Episcopus duxerit, alijs nullis vtantur: concedi autem has potißimùm vtile fuerit.

Caput II.

SI qua grauiora flagitia sint, quæ in in suis regionibus admittantur, ea certis indicijs & testimonijs comprobata ad Episcopum referant: Quod si vel non ea indicia extent, vt tradi in custodiam sontes queant, vel fugæ periculum sit, tum, si crimen nefarium sit, aut in ipso crimine reus deprehensus, conijciatur in carcerem. Si leuioribus in rebus à quoquam peccatum fuerit, nihil præcipitanter, & temerè agant; sed, re cum Episcopo, vel eius Generali Vicario communicata, ex præscripto iuris sententiam ferant. Quoscumque Synodalibus Constitutionibus, alijsuè edictis ab Episcopo editis minùs obtemperare compererint, eorum omnium nomina ad eundem Episcopum, siue eius Vicarium Generalem fideliter deferant, vt non modò pœnæ, censuræque decretis ipsis indictæ, sed aliæ etiam, pro criminis & contumaciæ grauitate, irrogari ijs, infligique posint.

Caput III.

INuestigent etiam diligenter, vtrum bona, quæ sacros ordines suscepturis patrimonij nomine constituuntur, verè à constituente sine vlla frau-

de,

de, doloue cedantur: vtrum alicui oneri, aut alieno æri addictæ.

Si quam prauam consuetudinem populus, inscio Episcopo, aut iam veterem teneat, aut recentem suscipiat, eam vel corrigant ipsi, vel ad Episcopum referant. Priuatos homines suspensionis, atque interdicti pœna, si opus sit, puniant: Generale verò locorum, hominumue interdictum, nisi id Episcopus, aut eius Vicarius Generalis nominatim iusserit, pronunciare non audeant. Sine eiusdem Episcopi facultate, eaque in scriptis, neminem anathemate feriant. Festorum dierum cultum ludis, saltationibus, alioue quocumque modo violantes, pecunia, vsque ad florenos quatuor, in vsus piorum locorum, mulctent.

Caput IV.

Vicarij foranei nullum quæritare pecuniam, aut quiduis aliud exigere sinant, nisi is facultatem sibi ab Episcopo, vel eius Vicario Generali scripto concessam ante postulauerit: Quærentes verò, vel præscriptis in facultate finibus sese minimè continentes, aut quid aliud criminis perpetrantes includant in carcere; conquisitas pecunias adimant; Episcopum de re tota commoneant.

Habeant etiam in vinculis eos, quos regulari habitu indutos, præsertim si soli sint, sine superioris sui ordinis, vel Monasterij commendaticijs literis

erra-

errare comperterint, (quod Sixti etiam V. Constitutione sancitum est) certioremq; Episcopum faciant.

Caput V.

NON in solitis modò visitationibus, quæ quotannis, quo tempore Episcopo visum fuerit, habebuntur; sed alias etiam semper, pro mandati muneris ratione, omnia Vicarij foranei circumspiciant, atque obseruent: quę verò remedio egere aliquo iudicabunt, ea ad Episcopum statis anni temporibus referant: caueant autem, ne maiorem sibi authoritatem vsurpent, aut vendicent, quàm facultates ab Episcopo patentibus literis explicatæ concedant; ad quem erudiendum de suarum regionum statu non ante accedant, quàm ea suis quique Parochis, quo quæque loco sit res, planè cognoscant; quod idem tum quoque faciant, cum tempus appetit diœcesanæ Synodi celebrandæ.

Caput VI.

VIcarius foraneus singulis mensibus Sacerdotum suæ regionis, quæcumque eorum conditio sit, in vnam aliquam eiusdem regionis Ecclesiam vicissim conuentum indicat, atque ipse cum primis adsit: ibi quisque testificationem scripto exhibeat, qua se octauo quoque die Confessionis

fessionis sacramentum obijsse appareat. Qui in propria Ecclesia eo die non celebrauerint, Missæ sacrificium faciant; tum vnà omnes, amicti superpelliceis, officium mortuorum cum tribus nocturnis & laudibus cantent, Missamque vel pro defunctis, vel de Spiritu sancto solemniori peragant ritu: ab eo præterea, quem Vicarius foraneus aliquot ante dies monuerit, breuis ad populum oratio habeatur: Supplicatio deinde fiat, cui qui interfuerint, quadraginta dierum Indulgentiam consequantur. Post parcam, frugalemque mensam, cui benedictionem, lectionem, & gratiarum actionem adhiberi de more volumus, omnes rursus in Ecclesiam redeant, vbi superpelliceis induti, precationibus, ex stata verborum formula sub Congregationis initium recitatis, suo quique loco pro dignitate ordinis considentes, cum de ijs rebus consultationem instituant, quæ in singulis Parochijs habere videantur difficiles explicatus, quibusque boni Pastoris officium continetur: tum de ijs agant, quæ ad animas ritè regendas, ad mores componendos, ad Cleri disciplinam augendam, ad Decreta in Episcopali visitatione edita exequenda pertineant: postremò Vicarius foraneus duos, vt vocant, conscientiæ casus proponat, eorumque solutiones vnà cum descriptione rerum omnium, quæ in eo conuentu actæ fuerint, quamprimum ad Episcopum mittat.

Caput VII.

VIcario foraneo, in rebus ad eius officij rationem spectantibus, curati omnes, cæteriq; inferiores, Ecclesiæ quacumque dignitate insignes obtemperent, & obsequantur: contumaces, vt quisque meritus fuerit, Episcopus puniat. Qua in Ecclesia Vicariatus instituti sunt, vel instituentur in posterum, in ea perpetuò maneant, atque ab ea nomen accipiant, etiãsi munus hoc ad eũ, cuius domicilium alibi sit, quandoque deferri contingat.

Caput VIII.

NE quid Populus per ignorantiam peccet, illud Vicario foraneo curæ sit, vt à singulis Parochis decreta hæc quotannis vulgari lingua Fidelibus promulgentur.

Ex Concilio Tridentino.

DEcretum contra eos, qui clandestinum Matrimonium attentarint. die 25. Martij, & Cal. Nouembris.

Contra eos, qui decimas soluere negligunt. kal. Iulij. & Dom. 1. Septembris.

Contra vsurpantes bona, & iura Ecclesiastica. 2. Dominica Quadragesimæ.

Contra eos, qui Hæreticos, hæresisuè suspectos non denunciant. Dom. 1. Aduentus, & Quadrag.

Contra

Contra Vſurarios, & Notarios vſuraria inſtrumenta conficientes. kalen. Ianuarij, & feria prima poſt Pentecoſten.

Contra inuadentes bona Eccleſiaſtici mortui. Feria ſecunda poſt Paſcha Reſurrectionis.

De melioramentis à conductore bonorum Eccleſiaſticorum factis. Dominica 2. Maij.

Caſus ab Epiſcopo ſibi reſeruati. Dom. 3. Quadrageſimæ.

Bullæ omnes, quæ ex Apoſtolica Conſtitutione varijs diebus publicari quotannis debent.

De tuendis Eccleſiæ bonis. *Caput* I.

SCiant Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum Rectores, atq; adminiſtratores, cenſuris, alijſq; pœnis arbitratu Epiſcopi ſecũ actum iri, ſi quibus illi Eccleſijs, locíſque pijs præpoſiti ſint, legata vlla, vel annua, vel perpetua, ſiue ad Miſſas celebrandas; ſiue ad alia quæuis præſtanda, relicta fuerint; præter id, quod ex Concilij Tridentini decreto ad Notarios pertinet, nec ij etiã intra quindenos dies, poſtquam id nouerint, Epiſcopum certiorẽ fecerint, quo teſtatoris volũtati, vt par eſt, ſatisfaciendũ curet.

Cap. II.

POſſeſſores, atque Adminiſtratores bonorum Eccleſiaſticorum, quocumque titulo frugiferas arbores, cuiuſuis illæ ſint generis, ne ad

ædificandi quidem vsum, tametsi arescere videantur, omnino non cædant; præter eas, quæ vt alternis annis vbique cædantur, vsus obtinuit. Quod si aliquando contingat, vt, præter has, vel arbores arescentes, vel ad sarciendas Ecclesiasticas ædes, vel aliam ob publicam causam, cædi arbores necesse sit, id, nisi consulto ante, & permittente Episcopo, nullo modo fiat. Huic Decreto quisquis non steterit, si sit Clericus, ab officio, beneficio, eiusque fructibus statim intelligatur esse suspensus; si laicus, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrat: neutrum verò Episcopus ante absoluat, quàm vterque ad illati damni rationem quadruplum Ecclesiæ restituerit.

Caput III.

Librum esse præterea volumus, in quo omnia Ecclesiæ bona, tàm mobilia, quàm immobilia, cum suis quæq; fructibus, & nominibus rectè atq; ordine descripta sint. Is tuto loco, clauiq; munito in Sacristia diligentissimè asseruetur. Eiusdem exemplum, Titularis, & Vicarij foranei manu subscriptum, in Episcopali Archiuio summa cura, & fide habeatur. In eo quæcumque descripta fuerint ab Episcopo, vel alio, qui pro eo id munus obibit, in visitatione semper legantur. Quisquis Ecclesiastica beneficia obtinet, is eorum bona omnia rursus, quanta potest maxima diligentia, recognoscat: Si

quid

quid autem vsurpatum, aut malè distractum comperit, iure agat, vt id quàmprimum recuperet.

De Decimis. Caput I.

HVmano, diuinoque iure præceptam esse decimarum solutionem, vix quemquam esse credimus adeò rudem sacrarum, prosanarumque literarum, qui nesciat; siquidem æquissimum est, vt à quibus cælestia dona mortales accipiunt, ijs ipsi ad vitę vsum terrena saltem suppeditet, & largiantur. Quapropter debitas decimas Ecclesiasticis viris petentibus; Curatis verò etiam nō petentibus, sicubi vsus ita obtinuit, solui omnino iubemus.

Caput II.

AC ne, quod Dei ministris debitum est, aut penitus quoquo modo subtrahatur, aut tantum ex parte soluatur, præter Concilij Tridentini Decretum, quod bis quotannis à singulis Parochis vulgari lingua expressum legi mandamus, id quoque oneris Prædicatoribus diuini verbi imponimus, vt in suis ad Fidelem Populum Concionibus hoc ipsum crebrò inculcent. Episcopi verò, vel ipsi per se, vel per Vicarios, Visitatoresuè suos in ipsomet visitationis munere illud potissimùm curent, vt, quæ decimæ varijs artificijs subtrahantur, quibusue Ecclesijs debitæ non soluantur, cogno-

ſcant; accerſitiſque, ſi opus ſit, ijs, qui ſoluere negligunt, iure cum ijſdem agant, certoq; ad ſoluendum tempore præſtituto, cum alia iuris remedia experiantur, tum illos, ex præſcripto Concilij Tridentini, cenſuris compellant.

De Confraternitatibus. Caput I.

Piorum hominum ſodalitates, quę Confraternitates dicuntur, ita bene inſtitutas in hac Prouincia noſtra, Seniſque præſertim, comperimus, vt nihil planè reliquum videatur, quod de ijs ſtatuamus. Ipſos tantùm ſodales hortamur, vt inſtituta, quibus ſe vltrò obſtrinxerunt, obſeruent; & Sacramenta crebrò ſuſcipientes, Chriſtianarum virtutum amore, & deſiderio pręcæteris teneantur; animique, & totius corporis habitus ita componant, vt ad piè, ſanctèq; viuendum eorum exemplo reliqui excitentur. Habeat ſuum quęque ſodalitas Confeſſarium ab Epiſcopo approbatum, quo conſultore, in rebus omnibus ad Dei laudem & gloriam referendis, vtatur.

De Seminario. Caput I.

ADeo tenues ſunt in hac tota Prouincia reditus, vt nullum in ea adhuc ſeminarium propter eam cauſam fuerit inſtitutum; quod cum valde incommodum eſſe intelligamus, atque erigi

erigi quamprimuùm maximè cupiamus, id ita fieri volumus, vt, quæ in hoc genere à Tridentino Concilio præscripta sunt, ea omnino seruentur. Singuli ergo Episcopi tantum ad hanc rem conferant, quantū satis sit rebus necessarijs ad victum duorū alumnorum suæ Diœcesis suppeditandis. Interim verò dum simplicia Beneficia pro tempore vacatura Seminario adnectuntur, ex eiusdem Concilij Tridentini præscripto, ex fructibus quorumcumque beneficiorum, pro cuiusquè rata, portio aliqua detrahatur, eaque Seminario applicetur; ante cuius institutionem, ab ijs, quibus hæc cura in Concilio mandata est, leges describantur, quibus alumnorum disciplina omnis contineatur.

De Iudæis. Caput I.

CHristiani neque eadem cum Iudæis domo, mensauè vtantur, neque carnibus, azimisuè ab ijs datis vescantur; neque vllo modo, maximè verò fœnoris causa, consuetudinem cum ipsis aut commercium habeant.

Caput II.

NEmo Iudæum medicum, (quod promulgato etiam edicto iam cauimus) ne in grauissimo quidem & periculosissimo morbo, adhibeat; Hæbreorum celebritatibus, nuptijsque

Chri-

Christianus nullus intersit. Iudęis fœminis parientibus mulier Christiana non adsit: nec Iudęæ Christianorum, nec Christianæ mulieres Iudæorum infantes alendos suscipiant. Omninò Hæbręis nemo inseruiat.

Caput III.

PRope Ecclesiam, aut dispersa per vrbem Hębręorum domicilia nulla sint; sed omnes in vnum locum seorsim à Christianis inclusi habitent. Iis Ecclesiastica bona, siue immobilia, siue mobilia sint, neque venditione, neque pignore, neque locatione credantur.

Caput IIII.

FEria sexta maioris hebdomadæ, & Sabbatho sancto domi se teneant. Vbi frequens sit Hæbręorum numerus, curet Episcopus, vt ij octauo quoque die conueniant ad concionem, quæ de ueritate Chrìstianæ Fidei ex Veteris Testamenti, Prophetarumque oraculis à pio aliquo, doctoque viro semper habebitur.

De Cingaris. Caput I.

NE Cingari, ueluti oues pastorum auxilio destitutæ, procul à salutis via aberrantes uagentur, Episcopi, in quorum illi Diœcesi fuerint,

fuerint, accuratè obseruent, ne quid à Christianæ religionis institutis alienum faciant; denique operam Parochi, vt eos ad Christianæ doctrinæ rudimenta discenda perducant: vt verò eorum matrimonia ritè atque ordine celebrentur, omni cura prouideant.

De Mimis. Caput I.

MImis, Circulatoribus, Histrionibus, Circumforaneis, Medicisque, qui Empirici appellantur, quo tempore aut venales res suas exponunt, aut Populum iocis oblectant, mulieres secum habere non liceat; quandoquidem plerumque fit, vt varijs eorum illecebris in peccandi cupidinem, qui minùs sunt cauti, trahantur. Puellæ quæstum saltationibus facientes, cum virili habitu per Vrbem discurrere non permittantur. Per totum verò id tempus, quo & Quadragesimale ieiunium celebratur, & Dominici aduetus memoria colitur, vigilijs item, & sexta quaque feria numquam omnino, festis autem diebus, nisi vesperis absolutis, huius generis atque ordinis homines in publicum planè non prodeant; si prodierint, coniecti in carcerem arbitratu Episcopi puniantur.

De Vsuris. Caput I.

CVM in hac nostra Prouincia Societates de animalibus à nonnullis ita iniri audiamus, vt in ijs vsuræ quædam species subsit, cupien

tes huic prouidere, ex Sixti V. Constitutione, quam etiam ampliamus, de hoc toto genere hunc modum statuendum censuimus. Quandocumque animalia nullo certo pretio æstimata cuipiam, societatis nomine, vel vt is danti operas præstet, custodienda traduntur, quidquid ex ijs casu perierit, id totum perijsse domino intelligatur, modò eum, qui in societatem accepit, dolo malo fecisse non constet, ea conditione, ut sors eadem semper maneat, certumuè aliquod ex fructibus animalium, præter sortem ipsam, quidquid acciderit, persoluatur; uel ut, eadem sorte incolumi, animalium fructus æquis inter se portionibus diuidantur, societates huiusmodi non contrahantur. Si animalia certo pretio æstimata cuiquam in custodiam ita dentur, nihil ut sors minuatur, is, qui dedit, nihil præterea à socio exigat. Immobilia verò bona numquam ita locentur, ut præter animalia, quæ ad eorum cultum ibi esse solent, alia aggregentur, ipsorumque animalium sors integra relinquatur: quicquid uerò aut hunc in modum, aut aliter, quàm à iure permittitur, contractum fuerit, licet iureiurando firmatum, præterquam quod irritum esse decernimus, ipsos etiam contrahentes, Notarios, cæterosque sceleris huius consortes, ex iuris & Ecclesiasticarum Censurarum præscripto, ab Episcopis seuerè puniri volumus.

Nos Hieronymus tt. Sancti Pancratij S.R.E. Presbyter Cardinalis Matthæius fidem facimus, & attestamur, Decreta confecta in Prouinciali Synodo ab Illustriss. Domino D. Cardinali Taurusio Archiepiscopo Senensi, eaque ad S. D. N. missa, à sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando præpositorum emendata, recognita, atque aptata fuisse; nec non eorumdem Decretorum exemplum apud ipsam Congregationem remansisse, cum quo huiusmodi Decreta, hoc libello chartarum 130 quarum prima incipit: In nomine sanctæ, &c. vltima verò: cupientes huic prouidere. & desinit: puniri volumus. descripta & collata in omnibus & per omnia concordant. In quorũ fidẽ his propria manu subscripsimus; & ab infrascripto Secretario item subscribi, sigilliq; nostri impressione communiri mandauimus. Romæ die 19. Decembr. M. DC.

Hier. Card. Matthæius.

Ioannes Franc. Fag. Sacræ Congregationis Concilij Secretarius.

R E G E S T V M

ABCDEFGHIKLMNOPQ.

Omnes sunt duerniones, præter Q quod est ternio.